



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

**Haunold, Christoph**

**Ingolstadii, 1678**

Capvt I. De Gratia Habituali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

# TRACTATUS III. DE GRATIA, ET MERITO.

**T**ria Capita hic Tractatus dividetur. In primo agam de Gratia Habituali, tanquam forma Iustificante à peccato Mortali: cui quidem subiungendum esset aliud caput, de Gratia actuali, ejusque principali membro, Gratia Efficaci; sed quia ab hac materia abstinendum est, ideo secundum Caput erit, de Necessitate Gratiae tam actualis quam habitualis ad declinandum à Malo, & faciendum Bonum. Tertium, de Merito.

## CAPVT I. DE GRATIA HABITUALI. CONTROVERSIA I.

*Virum detur Gratia, quæ sit Donum Supernaturale, physice inherens Naturæ Intellectuali, & absque operatione permanens.*

598. **D**icendum est, hominem denominari Iustum à qualitate physice informante & inherente, ac permanente, realiter distincta ab actibus virtutum. Conclusio probatur auctoritate imprimis, deinde etiam ratione. Ut autem testimonia tum Scripturæ, tum Patrum, tum denique Conciliorum, reddantur prudenter innegabilia (cùm spectato præcisè verborum cortice possent eludi) sciendum est, & obiter advertendum, quænam prædicata attribuantur huic Qualitati de qua disputamus.

599. Ex Fide constat, nos esse Elevatos, & Ordinatos à Deo ad finem & felicitatem Supernaturalem obtinendam, & quidem per Media proportionata ad huiusmodi finem; inter quæ Media sunt actus virtutum: ipse verò finis consistit in Visione & Amore Dei. Cùm ergo hi actus superent vires naturæ, consequens est, ut potentia & virtus illos producendi, sit etiam supra debitum Naturæ: sicut ergo Natura rationalis per sua prædicata naturalia intrinseca, debet

esse instructa ad eliciendos actus naturales, qui essent apti ad consequendum finem naturalem, ita videtur ex terminis prudenter innegabile, quòd debeat esse possibile aliquod Donum indubitum, quod instar Naturæ se habeat ad operationes excedentes ipsam Naturam rationalem. Supposita autem possibilitate huiusmodi Doni, est connaturalius, illud defacto dari, quam non dari: quia actus intentionales ex genere suo volunt esse à principio intrinseco, & à Natura intrinsece ordinata ad tales actus: Deus autem præsumitur semper observare id quod connaturalius est, nisi ex revelatione vel evidenti experientia constet de miraculo.

600. Nunc autem quod attinet ad consensum Doctorum, qui semper fuit in Ecclesiis, testatur Suarez lib. 6. c. 3. se nullum invenisse Theologum antiquum, qui hanc qualitatem etiam in adultis negasset, neque de aliquo vtro Catholico ait se id relatnm invenire. Docuit quidem Magister sent. non dari Habitum Charitatis, sed Charitatem esse ipsum Spiritum S. creatum

terum non negavit alios habitus infusos : quin etiam quoad habitum Charitatis ejus opinio fuit ita à Theologis , qui ei successerunt , reprobata.

601. Dices. Multi Theologi censent , ante Concilium Viennense , fuisse rem omnino dubiam , & utrinque probabilem judicatam. Nam Innocentius III. ( vt aliqui referunt ) in cap. *Majores de Baptismo* , tractans hoc punctum , adducit contrarias opiniones Theologorum , & nihil inter eas decernit. 2. Auctoritatem Innocentij non satis fideliter referri. Non enim asserit Pontifex , fuisse contrarias opiniones Theologorum circa questionem absolute propositam , an dentur habitus infusi , respectu omnium hominum etiam adultorum , sed solum : an infundantur parvulis in Baptismo : & cum eadem restrictione loquitur Concilium Viennense , eligens opinionem affirmantem , quod etiam parvulis infundantur Habitibus , tanquam probabilior , & SS. Patribus conformior , opposita hoc de parvulis ideo negante , quia illi habitus forent otiosi. De adultis autem satis indicat , ab omnibus fuisse semper judicatum eos infundi , asserendo rationem suæ opinionis. Nos , inquit , attendentes generalem efficaciam mortis Christi , quæ per baptismum pariter omnibus applicatur &c.

602. Stante hoc consensu DD. est pruden-ter incredibile , potuisse Deum permittere , vt in Ecclesia sua Doctores in re tam gravi errarent , errorumque suæ auctoritate adeo munirent , vt sine temeritate ab illis recedi non posset. Vnde Vega , Bellarminus , Valentia , Suarez , & non pauci alij , existimant Conclusionem esse de fide certam , definitam à Tridentino sess. 6. c. 7. *Charitas inquit , Dei diffunditur in cordibus eorum , qui baptizantur , atque ipsis inheret. Vnde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESVM CHRISTVM ; Fidem , Spem , & Charitatem.* Loquitur autem de Habitibus ; nam si de Actibus loqueretur , id non verificaretur in parvulis , & tamen in illis vult verificari , quia & parvulos vult baptizandos in remissionem peccati originalis per Gratiam Christi , quæ per baptismum confertur. Porro hanc fuisse mentem Tridentini , multum confirmat Auctoritas Catechismi Romani , jussu Pip. V. editi , vbi in materia de Baptismo hæc habentur. *Est autem Gratia , quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propositâ decrevit , non solum per quam peccatorum sit remissio , sed divina qualitas in anima inherens.*

603. Sunt insuper plura S. Scripturæ testimonia quibus innixum est Tridentinum Concilium , & in quibus se fundavit semper constans DD. sensus , vnde sit vt non nisi temerè possint in alium sensum detorqueri. Ad Rom. 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris , per Spiritum sanctum , qui datus est nobis.* & cap. 8. *Vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum*

*ejus in vobis.* Ad Titum 3. *Quem effudit in nos abunde per JESVM CHRISTVM Salvatorem nostrum , vt justificati gratiâ ipsius &c.* ad Cor. 1. *Qui vixit non Deus , quo & signavit nos , & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Denique huc magnopere faciunt illa loca , quibus dicimur effici Filij Dei. 1. Jo. 3. *Videte , qualem charitatem dedit nobis Pater , vt filij Dei nominemur & simus.* Vnde sic argumentari licet. Vt quis sit filius alterius , sive naturalis , sive adoptivus , debet participare naturam patris. Natura autem est principium motus & quietis , & natura debet esse intrinseca : ergo natura per quam specialiter efficiuntur filij Dei in ordine ad hæreditatem supernaturalem ( de qua loquitur S. Joannes ) debet esse principium operativum operationum quæ sint propriæ filij Dei , habentis jus ad hæreditatem : hujusmodi operationes sunt operationes supernaturales , ac denique Visio & Amor beatificus : ergo à primo ad ultimum , vt dicamur esse filij Dei , debemus in nobis accipere aliquid , quod sit instar Naturæ per ordinem ad tales operationes , & hoc est Gratia sanctificans , quæ est participatio Naturæ divinæ , vt infra declarabitur.

604. Obijcies 1. Sicut homo fit filius adoptivus alterius , præcisè per adoptionem seu destinationem extrinsecam adoptantis ad hæreditatem , ita potest intelligi homo fieri filius Dei adoptivus , absque eo quod aliquid intrinsecum accipiat , per quod ordinetur ad hæreditatem : sufficere enim extrinseca destinatio. 2. Negando paritatem : imprimis enim etiam ad adoptionem civilem requiritur naturæ capacitas ad hæreditatem : & licet eam non accipiat ab adoptante , debet tamen eam habere : quod autem eam aliunde habeat , suppletur fictione Juris. At verò homo per sola naturalia , non habet naturam Dei speciali modo , quo modo eam non habet inimicus Dei : ergo cum per justificationem fiat specialiter filius Dei , & acquirat jus ad hæreditatem , debet specialiter accipere naturam divinam , nec hoc potest vllâ fictione suppleri , sicut non potest in humanis suppleri , vt canis adoptetur in filium hominis.

605. Deinde , ex adoptione humana potius confirmatur Conclusio , vt etiam observavit Pallav. Quia eatenus potest adoptio humana fieri per favorem extrinsecum , quatenus homo optat aliquem esse filium , vel rogat vt velit esse filius , vnde adoptivi & arrogati dicuntur : optat autem , quia non habet in sua potestate facere , vt ex se natus sit , vel habeat Naturam à se : vnde Jura fingunt esse filium , qui verè non est filius : hoc est , decernunt illi effectus filiationis in ordine ad Bona fortunæ constituta sub dominio tum adoptantis , tum legislatoris. Quod si Pater posset dare cognationem filialem intrinsecam , ratione cujus haberet Jus Naturale ad talia bona ; eamque dare nollit , non censeretur adoptare in filium , sed in hæredem extraneum. Atqui Deus potest dare aliquam qualitatē , ra-

tione cuius creatura habeat specialem similitudinem cum ipso Deo, & Jus ad divitias divini patrimonij: ergo quando Deus adoptat in filium, necesse est, ut tribuat ejusmodi qualitatem. Agens enim Omnipotens & Sapientissimum, nihil optat, quod non potest facere, & reipsa faciat, exceptis illis quæ pendent ab aliena voluntate.

606. Objicies 2. Potest homo habere peccatum Originale sine aliquo physico intrinseco, solum per alienum peccatum, quod moraliter fit nostrum: ergo etiam posset quis reddi Gratus & Justus per Gratiâ physicè quidem inexistentem Christo, nobis autem tantum intrinsecam moraliter; &, hanc paritatem videtur tradidisse Apostolus ad Rom. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic etiam per unius Justitiam in omnes homines in Justificationem vitæ: sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituuntur multi, ita & per unius obediendum iusti constituuntur multi.*

607. Respondet P. Esparza, posteris Adami esse quidem extrinsecum peccatum ejusdem actualis, secundum suam entitatem, peccatum tamen Originale inde derivatum, esse cuius intrinsecum, & eatenus esse Bonam paritatem inter Gratiâ & peccatum originale. Adest tamen, inquit, nihilominus hoc discrimen, quod peccatum formaliter consistit in privatione formæ intrinsecè perficiens, Justitia verò est eadem illa forma positiva intrinsecè perficiens: quapropter peccatum originale & Justificatio impij eodem modo proveniunt quoad hoc ex peccato Adæ, & Meritis Christi, quod peccatum Adæ est causa nostri peccati originalis, & merita Christi sunt causa nostræ Justificationis: & rursus, quod intrinsecè afficiat unum sicut alterum, peccatum privativè, justificatio positivè. Hæc ille. Non vtor hac responsione. cum enim Objectio facta sit ab hæreticis, videtur esse solvenda absque præjudicio gravium Doctorum, docentium Gratiâ posse divinitus stare cum peccato, & ideo privationem Gratiæ ne quidem esse parziale constitutivum peccati Originalis. Deinde hanc responsionem non recipient illi, qui privationem Gratiæ identificant cum Decreto Dei, unde iterum apparet, hunc auctorem non admodum favere huic sententiæ, ut etiam supra notavi.

608. Aliter ergo respondeo ad objectionem, negando paritatem: disparitas facile redditur ex ipsa probatione Conclusionis. Ostendimus enim, quod forma justificans ordinet hominem per modum naturæ & radicis ad operationes proprias filij Dei, quibus & meremur vitam æternam, & denique fruimur Deo: sicut ergo non possumus frui Deo, aut esse beati, per meram moralem imputationem fruitionis alienæ, sed per physicam productionem Visionis & Amoris Dei, ita principium horum actuum & vita in actu primo, debet esse physicè inhærens animæ, quam elevat ad tales operationes. Nihil hujusmodi invenitur in peccato originali, ac proinde

non est eadem necessitas constituendi peccatum originale in aliquo physico inhærente; nam ad peccandum sufficit sibi natura ipsa suis virtutibus licita, nec opus habet aliquâ aliâ intrinsecâ elevatione & ordinatione ad hujusmodi operationes. Ad locum S. Pauli jam supra in simili objectione responsum est.

609. Objic: 3. Non tenemur in alio sensu defendere Justificationem & formam justificantem, quam quo accipitur in sacris litteris: sed in his accipitur frequentur pro forma mera extrinseca, nempe pro actu, quo quis declaratur & prædicatur iustus, qui est vitæ extrinsecus. Minor probatur ex Luca 10. *Veni justificare seipsum. Itaque 5. Vae! qui justificat in principium pro muneribus. Prov. 17. Qui justificat in principium, & qui condemnat iustum, utique abominabilis est.* R. 1. Hac objectione potius confirmatur Conclusio. nam esto approbatio & declaratio iusti sit iusto extrinseca, hæc tamen declaratio non est forma faciens iustum, sed potius hanc supponit, tanquam verificativum illius declarationis. Porro in sacris litteris longè sapius accipitur Justificatio pro forma faciente iustum, ut patet ex testimonij supra allatis: item ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

610. Objic: 4. Justificari formaliter, nihil est aliud, quam peccatum commissum remitti: sed remitti peccatum non dicit formam imponentem ipsi peccatori, sed potius illi qui remittit, sicut econtra hoc, quod est offendi, non dicit formam intrinsecam offensam, sed offendenti: ergo justificatio non est forma intrinseca justificationis. R. Distinguendo Majorem. Justificari formaliter, quatenus præcisè dicit: ex peccatore fieri non peccatorem, & ex reo non reum, aliud non est, quam peccatum remitti, transeat: Justificari formaliter & sanctificari, hoc est, ita ut ex peccatore fiat angelus & filius adoptivus in ordine ad hæreditatem salutis, aliud formaliter non est, quam peccatum remitti, nego Majorem: & eodem modo distinguo minorem: Remitti peccatum sanctificationis & adoptando in filium, non dicit formam extrinsecam, nego minorem: Remitti peccatum quacunque condonatione possibili, transeat minor: & eodem sensu negatur vel conceditur consequentia. Distinctionem hanc expressit Concilium Tridentinum sess. 6. c. 7. *Justificatio, inquit, non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per infusionem Gratiæ & donorum.*

## CONTROVERSIA II.

*An Gratiâ Habitualis sit Forma Justificans solum ex acceptatione arbitrarie, an ex intrinseco prædicato.*

611. Sententia Nominalium fuit, Qualitatem Islam, quam Deus iustis infundit, & per eam ab impio

ab iniustis intrinsecè secernit, non ex natura sua, & prædicato intrinseco physico habere, vt faciat Deo gratum & amicum; sed esse duntaxat signum ad placitum, seu signaculum quoddam morale, sicut in quibusdam locis solent signari, qui deputantur ad cursum; vel sicut se habet signum impressum monetæ, ad dandum valorem ex principis arbitrio. Vnde Durandus docet, hanc qualitatem denominari Gratiam extrinsecè, quatenus inest illis hominibus, quos Deus amat: & ideo ait, non esse bonam hanc causalem, loquendo de causalitate formali: ideo homo est Deo gratus, quia habet gratiam, sed potius econtra, ideo homo habet Gratiam, quia est Deo charus.

612. Dicendum est, Qualitatem supernaturalem, quæ vocatur Gratia habitualis, ex intrinseco & physico prædicato esse formam iustificantem, saltem radicaliter, connaturaliter, & essentialiter. Vtrum autem sit forma adæquata, & etiam diuinitus inconiungibilis cum peccato, est alia questio, inferius tractanda.

Probat 1. Si hæc qualitas esset tantummodo signum ad placitum iustificationis factæ, tunc forma iustificans esset adæquatè distincta ab hac qualitate, vt pote tanquam à signo ad quod præsupponeretur: atqui hoc repugnat Tridentino, alludenti, vnicam causam formalem nostræ iustificationis esse Gratiam. Ergo &c.

Probat 2. Hi omnes effectus formales: *esse amicum Dei, esse iustum, esse sanctum, esse filium adoptivum, esse heredem vitæ æternæ*, proveniunt ab eadem forma, sunt enim convertibiles, & inseparabiles: sed forma constituens filium adoptivum, & heredem vitæ æternæ, est Gratia habitualis, & quidem per prædicatum intrinsecum, vt patet ex præcedente controversia, & patet ex sequentibus. Ergo & reliquorum effectuum formalium forma erit, per prædicatum intrinsecum. Major est per se clara, colligiturque ex Trid. dicente: *unde ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit heres secundum spem vitæ æternæ*.

613. Obijc: 1. Si Gratia constitueret filium adoptivum ex natura sua, & non merè ex placito, sequeretur, quod vel non daretur in Christo (quod est contra communem Theologorum) vel constitueret Christum etiam Filium adoptivum: non potest enim forma existere in subiecto, & non tribuere suum effectum formalem: consequens est erroneum. Ergo. R. Negando sequelam: forma enim non facit effectum formalem, nisi in subiecto apto: effectus formalis autem filij adoptivi, requirit subiectum, quod sit Persona extranea, & non filius naturalis (de qua dictum est, quod illi effectus sint inseparabiles) Christus autem est filius naturalis. Sed de hoc plura in tract. de Incarnat.

614. Obijc: 2. Si hoc quod est: *esse iustum & amicum Dei*, proveniret ab intrinseco prædicato Gratia habitualis, hoc ideo esset, quia hæc prædicata fundantur tanquam proprietates, vel quasi proprie-

tates in prædicato Participationis *Naturæ divinæ*: quod tanquam primum & primum prædicatum Gratia assignatur à Theologis: sed hoc est falsum. Major est certa. Minor probatur. Participatio ejusdem Naturæ non infert necessitatem condonandi injuriam, & ineundi amicitiam illi, cuius naturam participat, qui offendit, aut qui non est amicus: manet enim alter omnino liber, & est in illius arbitrio positum, vtrum velit condonare offensam, vel inire amicitiam, vt patet inter Angelos & homines, qui alterius naturam longè magis participant, quam homo participet naturam Dei.

R. Negando paritatem. Neque enim quæcunque participatio Naturæ, sufficit ad inferendam amicitiam, sed quæ confertur ex amore benefico, ordinante ad communicationem omnium bonorum, & ad operationes soli filio proportionatas &c. qualis est participatio Naturæ divinæ per Gratiam, vt ex dicendis constabit.

615. Obijc: 3. Effectus formalis physicus, & effectus formalis intentionalis, non possunt esse ab eadem forma: sed effectus formalis amici & filij adoptivi sunt effectus formales intentionales seu morales, provenientes ab actu voluntatis alterius: effectus verò formalis Participationis *naturam alterius*, est effectus formalis physicus. Ergo hic solus potest esse à qualitate intrinseca. R. Distinguendo minorem quoad primum membrum: effectus formalis Amici & filij adoptivi, sunt intentionales, prout reperiuntur inter homines, concedo min. prout reperiuntur inter Deum & hominem, subdistinguo: loquendo de amicitia & adoptione passiva, nego minorem: loquendo de amicitia & adoptione activa, concedo minorem. Ratio est, quia amicitia passiva consistit in intrinseca ordinatione ad tales operationes, per quas homo possidet bona Dei & ipsum Deum, & pariter adoptio passiva consistit in intrinseca ordinatione ad operationes convenientes filio, & deducens ad hereditatis consecutionem.

### CONTROVERSIA III.

*Quo sensu Gratia habitualis sit speciali modo Participatio Naturæ divinæ.*

616. Constans est Theologorum sensus, modusque loquendi, Gratiam esse participationem Naturæ divinæ, vi cuius participationis, redditur capax amicitia divinæ, & hæres ac filius Dei adoptivus. Fundamentum habetur ex 2. Petri. 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, vt per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*. Idipsum eleganter expressit antiquissimus Theologus Dionysius Areopagita de Eccles. Hierarch. c. 2. *Nemo, inquit, potest operari divina, qui divinum statum non sit consecutus, quia unusquisque ea solum agit, quæ substantiæ, statusque sui sunt*.

617. Re-

617. Restat explicandum, in quonam hæc participatio consistat, seu, quodnam sit illud prædicatum, quod homo per Gratiā consequitur, quod Deo sit connaturale & proprium: quodcunque enim prædicatum Deo & creaturæ cuiusque possibili commune, non est sufficiens, ut illius participatio sit participatio Naturæ divinæ quā talis, esset enim participatio alicujus generis ad Deum & creaturam. Pro resolutione,

618. Sciendum est, nomen *Natura*, habere apud Philosophos triplicem præcipuè sensum. Primus est, quo *Natura* accipitur pro Essentia cuiusque rei, seu pro primo prædicato, per quod unaquæque res differt ab alijs rebus. Hoc sensu dixi libro 1. Essentiam Dei consistere in *Asseitate*, seu in hoc quod est: *Esse à se*. Hic sensus non attenditur in præfati Controv. certum enim est, quod creatura non possit hoc prædicatum ita participare per gratiā, ut dicatur per Gratiā esse à se. Secundus sensus est, quo *Natura* accipitur pro prædicato operativo primo operationum propriarum alicujus substantiæ; & sic dicitur *Natura* esse principium motus vel quasi motus: quo sensu dixi in eodem loco, *Naturam* Divinam consistere in essentiali intellectiōne, quā Deus se cognoscit. Tertius sensus, & parum vltutus, est potius Ethicus quam physicus, quo *Natura* sumitur pro dispositione & inclinatione ad operationes morales. In hoc sensu existimat P. Esparza accipi nomen *Natura*, in recitato loco S. Petri, quod colligit ex toto contextu: & est valde consentanea acceptio illi, quod Christus dixit Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est*, & quod habetur Joh. 2. *Omnis qui facit iustitiam, ex ipso* (id est Deo) *natus est*. His positis

619. DICO 1. In sensu morali homo participat Naturam divinam per Gratiā habitualem. Probat. Gratiā est radix operationum supernaturalium honestarum, conducentium ad æternam felicitatem, & est inconiungibilis cum actu quocunque, habente pro ultimo fine aliquid creatum, & obiectum supernaturalium operationum semper est Deus ejusque beneplacitum, vel ut motivum, vel ut Regula: Motivum quidem respectu actuum Charitatis, Regula verò respectu ceterarum virtutum: atqui soli Deo proprium est, esse substantiam Intellectualem, non capacem nisi operationum Sanctarum, habentium Deum pro ultimo fine: vno verbo: *Natura* divina est *Natura* essentialiter Bona, & hoc nulli Naturæ creatæ convenit, quia omnis *Natura* Intellectuallis pura, est peccabilis, adeoque coniungibilis cum malo simpliciter in genere moris, ut in 1. lib. dictum est, per Gratiā verò fit *Natura* ita Bona, ut in genere moris excludat malum simpliciter, quod est peccatum Mortale.

620. Hæc participatio Naturæ divinæ sufficiens esset, quia nec Scriptura, nec Patres ad aliam assignandam cogunt. Quia tamen alij DD.

vix huius meminerunt, sed aliam in secundo sensu superius indicato inquirunt, ideo

DICO 2. Gratiā est participatio Naturæ divinæ etiam acceptæ in sensu Metaphysico. Probat. Gratiā habitualis est semen & radix Gloriæ, hoc est Visionis Dei: Deo autem est essentialiter, videre se; & in hoc consistit illius *Natura*: ergo per Gratiā participatur aliquid prædicatum, quod constituit Naturam divinam. Per Gratiā itaque participamus potestatem videndi Deum, quæ potestas convenit Deo essentialiter & per naturam, nobis verò per favorem.

621. Ex hoc principio intuli in 1. p. non posse dari substantiam creatam, cui sit connaturaliter debita Gratiā sanctificans: si enim esset possibilis huiusmodi creatura, jam non esset amplius Gratiā specialis participatio Naturæ divinæ, sed solum esset participatio illius gradus generici, in quo Deus & creatura illa convenirent, nempe: *connaturaliter videre Deum*: Nam licet ad inter Deum & Creaturam illam esset discriminum, quod Deus essentialiter se videat, illa verò Creatura tantum connaturaliter & per actum distinctum, Gratiā tamen non esset specialis participatio nisi huius prædicati: *habere suam ad videndum Deum*: hoc autem prædicatum esset connaturale illi creaturæ: ergo non magis participaret naturam divinam, quam illius creaturæ.

#### CONTROVERSIA IV.

*Virum Gratiā Habituaalis distinguatur realiter à Charitatis habitu.*

622. Negant antiqui, & tota Schola Scotistarum, quos sequitur Bellarminus, Arriaga, & Esparza: De hoc vltimo id mirum esse non debet, ita enim tenere cogitur principio quodam suo, quod tradit de potentia Obedientiali, ex quo etiam docet, Habitum Fidei & Luminis Gloriæ, esse species impressas; quod principium loco rejicietur.

Affirmat S. Thomas cum sua Schola: de qua Sententia negans non habet argumenta convincentia, ob reverentiam Angelico Doctori specialiter debitam, magis placet sententia affirmativa.

623. Probat. congruentiā satis bonæ Gratiā distinguitur ab Habitu Fidei & Spei: ergo etiam à Charitatis habitu. Antecedens patet, nam Fides & Spes manent in peccatore etiam sine Gratiā. Consequentia probatur à pari. Si enim realiter distingueretur ab Intellectu, & ab eo separari posset, dicendum consequenter esset eam etiam distinguere à voluntate, etiam si ab hac nunquam separaretur. atqui Gratiā est quasi voluntas in ordine rerum supernaturalium, & Habitatus sunt ejus potentie, inter quos Fides est quasi Intellectus, & Charitas est quasi voluntas: ergo si Gratiā realiter distinguitur à Fide, recte etiam

dicetur distingui à Charitate, & quidem à fortiori, quia ut bene notat Lugo & Oviedo, potentia appetitiva videntur supponere cognoscitivam, & consequenter magis remotè oriuntur ab essentia.

624. Objic. ex Tridentino sess. 6. c. 7. ubi dicitur, nos formaliter justificari, dum per Spiritum S. Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris. R. Mihi certum esse, Patres Concilij non cogitasse definire quidquam circa præsentem controversiam, utpote cujus definiendæ nec causam dederunt hæretici, nec est res alicujus momenti, & doctrina S. Thomæ in maxima veneratione fuit. Solùm ergo definire voluerunt formam justificantem esse aliquid inhærens & semper connexum cum Charitate. Pari modo facilis est responso ad textus Scripturæ: sicut enim anima sæpe Voluntatis nomine compellatur, nec tamen inde probaretur efficaciter identitas animæ cum Voluntate, ita etiam si Scriptura sæpe Gratiā Charitatis nomine comprehendat, non rectè inde inferatur identitas. Respondendum ergo cum D. Thoma q. 110. a. 3. ad 1. Scripturam loqui accommodatè ad hominum instructionem, & tribuere Charitati, tanquam signo Gratiæ, effectus formales proprios Gratiæ.

## CONTROVERSIA V.

*Utrum sine infusione Gratiæ alteriusve Doni, impossibilis cum peccato, possit Remitti Peccatum Mortale.*

625. Negant Cajetanus, Richardus, Valentia, Petrus Sotus, Vasquez, Esparza. Affirmant Scotus, Bonaventura, Ferrariensis, Ledesma, Halensis, Gabr. Gregor. Okam, Medina, Angelus, Vega, Suarez, Granadus, Tanner, Lugo, Ariaza, Oviedo, Comptonus, & RR. communis.

Supponendum autem est, non esse questionem de statu elevationis prout substat præsentis Decreti divino. Certum enim est, quod Deus defacto decreverit, non remittere peccatum mortale sine infusione Gratiæ: certum itidem est, quod defacto Deus nullum hominem constituat in statu medio inter peccatum mortale & gratiam, ita ut neutrum habeat, ad minimum enim habebit peccatum originale si Gratiā non habet. Ceterum, non videtur negari posse, quin Deus potuisset habere aliud decretum elevationis, quo hominem ordinaret ad finem supernaturalem consequendum per operationes supernaturales, ita tamen ut per totum Infantia tempus non conferret vllum donum supernaturale, utpote otiosum (propter quam rationem multi olim tenuerunt, parvulis in Baptismo non infundi habitus supernaturales) sed expectaret dispositionem de congruo, ut fecit cum primis parentibus. Immo Thomistæ cum S. Thoma existimant, quod defacto elician-

tur aliqui actus meritorij ab hominibus justis, quibus tamen non statim infundatur correspondens augmentum Gratiæ, sed differatur vsque ad mortem.

626. Quæritur ergo, an eodem modo poterit Deus ita instituire statum elevationis, ut licet tandem nemo salvaretur, qui non haberet Gratiā, non statim tamen eam acciperet, quando illi remittitur peccatum. Supponitur autem, in hoc nullam fore indecentiam moralem, aut miraculum contra exigentiam Gratiæ incompen-sabile: nullum enim hujusmodi inconveniens obijciunt auctores Sententiæ negantis, & esset alia prorsus controversia. Tota igitur quæstio est, an ex intrinsecis principiis, & modo tendendi divino, repugnet actus condonativus peccati, qui non sit voluntas practica, conferens actu aliquod donum intrinsecum impossibile cum peccato. Vnde, licet hæc quæstio clariùs procederet de statu puræ Naturæ, Auctores tamen moderni eam tractant de statu elevationis, ita tamen, ut non faciant vim specialem in ipsa elevatione: & qui tenent sententiam negantem, utuntur argumentis vrgentibus etiam pro statu puræ Naturæ.

DICO, probabilius esse, hujusmodi condonationem extrinsecam non repugnare. Probatio Conclusionis sufficientissima foret solutio Argumentorum. Cum enim affirmantibus implicantiā, incumbat onus probandi, & ostendendi implicantiā, si in probatione deficiant, causâ ceciderunt, quia probationem attentârunt. Ceterum Doctores pro nostra sententia citati, afferunt insuper positivas probationes, non quidem à priori, sed à pari, easque paucis verbis quasi evidentes proponunt, & sunt hæc.

627. Potest, inquit, Deus in statu puræ naturæ condonare peccatum, absque vlla mutatione intrinseca peccatoris, per formam impossibilem cum peccato. Potest item in statu elevationis remittere peccatum Veniale, sine hujusmodi forma impossibili cum Veniali. Potest denique homo remittere offensam sine mutatione offendentis: quidni ergo & Deus? Verum, quia Moderni his argumentis varias solutiones adhibuerunt, necesse est, eas diligentius ponderare.

### §. I.

*Prima probatio desumpta ex statu Puræ Naturæ.*

628. Potest in statu Puræ Naturæ peccatum mortale remitti salvo illo statu, adeoque sine infusione Gratiæ supernaturalis: atqui nulla qualitas naturalis est excogitabilis, quæ prudenter dicatur esse impossibilis cum peccato habituali, & quam Deus tanquam causâ particularis produceret ad dimissionem peccati: ergo tenet Conclusio.

K k

Prima

Prima Responsio est Vasquez, Medina, & Cajetani, negando maiorem, quæ est etiam Sententia S. Thomæ q. 113. a. 2. ad. 2. Verum contraria sententia, hoc est, posse in statu puræ Naturæ remitti mortale sine infusione doni supernaturalis, est totius Scholæ Scotistarum, atque etiam nobilium Thomistarum, Victoris, Zumel, & Lorca. probationes communes videri possunt apud Suarez. Quidam Romanus Professor, magni ingenij, exhibet novas probationes, quas breviter referam, quia ob ingenium quod sapiunt, merentur referri.

629. Probat ergo 1. Homo est naturaliter mobilis à Bono in Malum: ergo etiam à Malo in Bonum. Probaturs Conseq. Natura humana est Bona: ergo quod possit moveri de Bono in malum, non habet, quia est mala, sed quia est mobilis ut sic. Ratio ulterior. Quia homo simul est ex Nihilo, & simul ex Deo: in quantum est ex Nihilo, habet, ut non adhæreat immobiliter bono: ergo in quantum est ex Deo, habebit ut non adhæreat immobiliter malo. Ulterius, quod potest naturaliter moveri versus aliquem terminum, potest ad eum naturaliter pertingere: atqui potest homo naturaliter moveri à malo ad bonum, puta per penitentiam: ergo & naturaliter potest pertingere. Ita ille.

630. Hæc argumentatio, nisi cavus sim, ferit suum auctorem. Procedit enim mutatis terminis tota quantæ etiam de Angelis, nam & isti sunt ex Nihilo, & ex Deo, & sunt naturaliter mobiles de Bono in Malum, ut patet in damnatis. Et tamen hic auctor de Angelis omnia alia tradit. *Angeli, inquit, eo ipso quod peccarunt, tempus vite terminarunt, quia eorum Natura immobilis existit, & quocunque per deliberationem cadit, ibi manet.* Quomodo ergo est bona consequentia huius auctoris: *Homo est à Deo: ergo non adhæret immobiliter malo.* cum non sit bona hæc illi similis: *Angelus est ex Deo: ergo non adhæret immobiliter malo.*

631. Secunda ejusdem & melior probatio. Homo tenetur lege naturæ penitere post peccatum, ut probat S. Augustinus lib. de duab. animab. c. 14. dicens, à nulla barbarie negari posse, quod sit utile penitere, & penitendum post peccatum: sed penitentia est naturale medium ad indulgentiam: natura autem non ordinat media ad finem, quem non potest naturaliter consequi.

632. Tertia Probatio. Desperatio est via ad liberè peccandum: sed non potest esse proprietas naturæ id quod duceret in baratrum vitiorum ipsam naturam: huiusmodi esset desperatio venia, si hæc naturaliter repugnaret. Non assequor efficaciam huius probationis. Sicut enim raritas & levitas non est proprietas aquæ, tamen illi naturaliter advenire possit ex superveniente calefactione contraria aquæ, ita Desperatio non erit proprietas hominis, licet illi ex superveniente peccato contrario naturæ posset naturaliter adesse.

Quarta & melior probatio. Mors non consequitur naturaliter statim post peccatum, unde homines in pura natura non statim ac peccatum morerentur, & tamen jam non essent viatores sed damnati, quippe immobiliter malo adherentes, ac proinde humana societas consisteret ex viatoribus & ex damnatis, unde gravissima incriminatio sequeretur.

633. Quinta & bona ratio. Etiam in statu puræ Naturæ deberet apparere sicut Iustitia, sic & Misericordia Dei: ad hanc autem in ordine aliquo spectat, quod Deus sublevare possit à Misericordia: unica autem & vera miseria est peccatum.

Supposita ergo Sententiâ, quod in statu puræ naturæ, posset remitti mortale sine dono supernaturali,

634. Responderunt ad argumentum factum aliqui innominati Theologi apud Suarez, & dixerunt, posse Deum efficere qualitatem, quæ quidem non eleveret hominem ultra finem naturalem, ita tamen perficiat naturam in suo ordine, ut sit omnino impossibilis cum peccato, & cum statu peccati avertentis à fine naturali adduntque, sine infusione talis qualitatis non potuisse Deum remittere peccatum in illo statu. Contra hanc qualitatem insurgit P. Suarez, ceteroquin in ferendis censuris moderatissimus, aitque, eam sine Auctoritate & Ratione constam, imperceptibilem, improbabilem esse.

635. Post Suarezij tempora alij DD. quædam recordor) huius qualitatis non meminerunt, donec eam denuo spectabilem fecit jam ante laudatus Romanus Professor, qui cum & ipse negaret possibilem condonationem extrinsecam, neque tamen ex argumento jam proposito elucari aliter posset, ad consuetum RR. quorundam alijum confugit, id est, ad decantatissimam Pulchritudinem Universi, ex qua sicut Modum Relationis Prædicamentalis deduxerunt, ita nunc ille hanc Qualitatem deduxit. audiamus illum. Cum, inquit, Natura rationalis sit indifferens ad habendam Gratiâ, debet, quando caret Gratiâ, habere loco ejus Pulchritudinem quandam naturalem, quam consequenter inclinationes debite ad finem naturæ. atque hæc Pulchritudo debet distingui à substantia naturali, cum sit impediibilis per Gratiâ, sicut substantia creata distinguitur à Natura, quia est impediibilis per divinam: hæc Pulchritudo est quædam qualitas, se habens in rationalibus eo pacto, quo figura, color, & ejusmodi se habent in corporalibus, quæ pulchritudinem earum constituunt per exclusionem igitur huius qualitatis homo foret peccator, justus per restitutionem ejusdem, per quam reordinarentur omnes ejus affectiones in ordine naturæ, sicut fit per proportionalem qualitatem in ordine Gratiæ.

Quia verò facile poterat auctor suspicari, hanc suam Pulchritudinem non habituram multis amatores, ideo subiungit aliam responsionem, his verbis: *Quodsi alicui displiceat hæc qualitas, (quid dubitat? cum displicuerit pridem Suarezio) dicat, quod homo fieret justus in ordine naturæ per de-*

habituem Naturalem Dei, excitabilem post peccatum ab objectis Naturalibus, quam etiam consequeretur habitus proportionalis: per hanc enim homo constitueretur in proportionali dispositione ad finem naturalem, quam habuisset ante peccatum. Ita ille.

Quod attinet ad primam 2. Displicet quidem hanc Pulchritudo alijs, quod asseratur reputante iudicio communi: cui enim, obsecro, incidat hanc cogitatio, quod homo peccando perdat aliquam pulchritudinem physicam, & naturaliter debitam animæ, sicut perdit iu corpore, quando ex albo fit niger? An non omnes apprehendunt peccatum, tanquam maculam moralem, in ordine ad penam, & aversionem eorum qui sciunt eum peccasse, etiam si pro certo scirent aut supponerent, nihil physicum & naturale deperditum esse? Verum, quia hoc argumentum est mere per locum extrinsecum, & responderi posset, licet vulgo aliter videatur, ita tamen videri doctis, ideo magis ab intrinseco

636. Argumentor primò. Si huiusmodi qualitas est pulchritudo animæ sicut color & figura est pulchritudo corporis, dicit alijs pari jure, quod, ut per peccatum fiat deformis, non satis sit perdere hanc qualitatem, sed acquirat insuper aliam qualitatem deturpativam physicè ipsius animæ: talis enim dicenda erit turpitudine animæ, qualis est proportionaliter turpitudine corporis: acqui hæc non consistit in carentia figuræ & coloris, sed in figura distorta & colore inamano &c. unde denique nullo jure ab his ipsis auctoribus explorata fuit qualitas illa deformativa animæ, in qua superius diximus aliquos collocasse peccatum originale; sic enim melius salvabitur paritas inter pulchritudinem & deformitatem corporis & animæ.

637. Argumentor 2. Si in statu puræ naturæ ordinarentur omnes affectiones hominis per huiusmodi qualitatem in ordine naturæ, sicut per Gratiam sanctificantem ordinantur omnes affectiones hominis in ordine Gratia, sequitur, quod sicut Gratia sanctificans est radix habituum infusorum distinctorum, qui sunt velut potentia ad eliciendos actus supernaturales, ita illa qualitas sit radix potentiarum ad eliciendos actus naturales: adeoque potentia (demus esse distinctas) non radicantur immediate in anima, sed in hac pulchritudine animæ. quis hæc unquam asseruit? Hinc autem

638. Sequitur primò, quod tot debentur admitti Potentia naturales, realiter inter se distinctæ, quot admittendi sunt habitus supernaturales radicati in Gratia: hoc autem est hæcenus inauditum.

Sequitur 2. Quod sicut per peccatum mortale perditur non solum Gratia, sed omnes alij habitus supernaturales, excepta Fide & Spe, ita in statu puræ naturæ, per peccatum Mortale perderetur non solum illa pulchritudo naturalis, sed perderentur etiam potentia animæ naturales, exceptis duabus, quæ responderent Fidei & Spei:

quia amissa radice amittitur connaturaliter id, quod in illa radiceatur. Et hinc

Sequitur 3. Quod sicut Deus in casu posito, supplet per extrinsecum concursum habitus supernaturales, quando eliciuntur actus supernaturales, ita etiam in statu puræ naturæ suppleret potentias naturales, vitales.

639. Argumentor 3. Quando defacto in statu elevationis homo peccat mortaliter & perdit Gratiam, vel restituitur illa Pulchritudo naturalis, vel non restituitur. Si restituitur, sequitur 1. Eam esse possibilem cum peccato in statu elevationis, non autem in statu puræ naturæ, quod adversarius non dicit. Sequitur secundò, quod homo tunc esset intrinsecè ordinatus ad finem naturalem, quod etiam non dicit. Si non restituitur: ergo non opponitur Gratia, sicut substantia creata opponitur increata, nam hæc ablata deberetur substantia creata. Quæro insuper, an illa Pulchritudo opponatur etiam Peccato Originali? si opponitur illi: sequitur primò, quod Originale non minùs constituitur per privationem illius Qualitatis, quam per privationem Gratia, & quod tolleretur per productionem illius Qualitatis: sequitur 2. Quod in parvulis, decedentibus sine baptismo, semper absit illa pulchritudo naturalis, cum tamen sint capaces alicujus imperfectæ felicitatis naturalis, ad quam deberent eorum potentia ordinari. Si verò illi non opponitur, sequitur, quod parvuli ante baptismum illam habeant, & tunc sint ordinati ad finem naturalem. sequitur item, quod Originale non sit propriè dictum peccatum, utpote non exclusivum illius pulchritudinis, quæ in statu puræ naturæ excluderetur per peccatum personale.

640. Argumentor 5. Si in pura natura daretur illa pulchritudo animæ, ea utique esset cognoscibilis intuitivè ab intellectualibus substantijs, quæ virtute naturali possent intuitivè cognoscere substantiam animæ, & omnia illi intrinseca, non cadentia sub secretum naturale: illa autem qualitas non esset sub secreto: qualis enim pulchritudo naturæ esset, quæ secreto includeretur à Natura, ut nemini posset placere? Hinc autem ulterius sequeretur, quod status peccatoris etiam non esset sub secreto. Nam in statu puræ naturæ cognosceret Angelus Petrum v.g. qui peccavit, non habere hanc pulchritudinem, neque posset suspicari miraculosam occultationem; cur enim occultaretur in vno, & pateret in alijs: immò hæc occultatio esset miraculum, quod in illo statu non daretur, & si daretur, esset deturpativum naturæ, qualia miracula Deum non posse facere dictum est in primò libro. Ergo Angelus evidenter, saltem evidentiâ physicâ, inferret Petrum peccasse mortaliter, & in peccato habitualiter perseverare: hoc autem est contra veram Theologiam: ergo à primò ad ultimum, hæc Pulchritudo animæ merito non placet.

K k 2

641. Quod

641. Quod ad alteram responsionem atinet, ea jam supra rejecta est, cum ageretur de Peccato Habituali, ubi suspicatus eram, quod P. Martinus Esparza per *Inclinationem Habitualement* ad amorem Dei, intelligeret habitum genitum ex actibus Charitatis; & quidem quod ad expulsiorem peccati sufficeret in statu purae naturae quilibet gradus quantumvis remissus, sicut sufficit quilibet gradus Gratiae in statu elevationis. Et hanc fuisse mentem illius auctoris colligo nunc ex verbis hujus Recentioris. Itaque ultra ea quae ibi dicta sunt, contra hanc responsionem

642. Argumentor primò. Ex illa doctrina sequitur, quod homo viribus naturae posset condignè satisfacere pro peccato mortali in illo statu commissio, consequens est contra fundamentum generale, in Tract: de Incarnatione exhibendum. Sequela verò probatur. Posset homo viribus naturae elicere actum Charitatis, naturaliter ab objectis excitabilem, & ille actus generaret naturaliter habitum, qui esset forma justificans: deinde pro pena temporali residua, posset condignè satisfacere, ergo nihil liberalis condonationis interveniret.

643. Argumentor 2. Sequitur ex illa doctrina, quod in statu purae naturae, antequam homo perveniret ad aetatem adultam, & necdum ullum actum Charitatis eliciuisset, quod inquam non fuisset ordinatus ad finem naturalem, quia secundum adversarios, ordinatio extrinseca non sufficit, nec datur, forma autem intrinsecè ordinativa non daretur, habitus enim naturaliter facilitantes & generabiles ab actibus, non infunduntur, ne quidem per accidens, esset enim talis infusio miraculosa, quae in statu purae Naturae non daretur.

644. Argumentor 3. Ex illa doctrina sequitur, quod homo, qui per frequentissimos actus acquisivisset habitum intensissimum, per unum peccatum mortale totum habitum destrueret, quod est contra veram philosophiam. Sequela patet: tolleretur enim tota ordinationem ad finem naturalem: minimus autem gradus illius habitus sufficienter ordinaret in sententia adversariorum: ergo tolleretur totum habitum.

645. Argumentor 4. Ex illa doctrina sequitur, quod defacto in statu Elevationis posset homo adultus esse intrinsecè ordinatus ad finem naturalem, si nimirum ante baptismum non eliceret ullum actum supernaturalem, eliceret tamen actum naturalem amoris divini, prout fieri posse communiter admittitur, cum possint occurrere objecta naturaliter illius excitativa.

Argumentor 5. Homo offensus ab homine non hoc ipso censetur placatus, & remissus injuriam, quod alter per actum dilectionis erga se elicitum acquisiverit habitum & inclinationem ad ipsum amandum: ergo nec Deus censetur hoc ipso remissus peccatum, quod homo sit habitualiter inclinatus ad amandum Deum: ergo talis inclinatio non est forma adequatè justificans.

Hae sunt, propter quae videtur mihi satis bonum argumentum pro Condonatione extrinseca desumptum ex Statu Purae Naturae. Veniamus ad alterum.

## S. II.

### Secunda Probatio Conclusionis, desumpta ex remissione Peccati Venialis.

646. Posse fieri condonationem extrinsecam, probatur secundò positivè, ex Peccato Veniali, quod defacto remittitur sine infusione. Illius boni impossibilis cum Veniali: quod enim defacto nunquam remittatur Veniale sine infusione augmenti Gratiae, est per accidens, nempe quia non remittitur sine interveni alicujus actus meritorij, cui datur correspondens primum Gratiae: ceterum illa gratia est conjungibilis cum peccato Veniali.

Ad hoc argumentum respondet idem Recentior, his verbis. *Quidam putant, veniale remitti per Gratiam non secundum speciem, quia secundum hanc non opponitur nisi mortali, sed ratione Teleitatis, & specialis individuationis, secundum quae dicunt opponi certis Venialibus, & hanc Gratiam putant causari per confessionem. Alij cum S. Thoma putant, Veniale remitti per fervorem Charitatis et confessionem per physicos aliquos effectus excitationis: alij putant, remitti per retractationem formalem vel virtutalem. quodnam ex his sit verius, dixerit de Sacramento Penitentiae. Ita ille. sed quid pollice xerit de Sacramento Penitentiae, mihi non innotuit: quidquid autem dixerit:*

647. DICO, nihil ex illis tribus sufficere ad solvendum argumentum. Non primum, quia est merum signum, sine auctore, & est inauditum; quod quis committens Veniale peccatum, expellat & commutat Gratiam priorem in aliam Gratiam, non habentem hujusmodi individualement oppositionem, qualem habebat prior gratia, cum peccato veniali ejusdem rationis, jam ante remisso, quae tamen substituta Gratia cetero sit aequè bona ac quae expulsa est. hoc lenèralia sunt, quae nunquam cum plausu famolorum Theologorum excipientur, ut ego mihi persuadeo. Secundum etiam non sufficit. Nam etsi verissimum sit, quod per hujusmodi fervorem venialia remittantur, possunt tamen etiam sine hoc fervore, immò sine omni actu remitti, quod quidem Mortale sic remitti potest. sed deus non posse remitti sine omni actu, remittuntur tamen aliquando per actum cum sacramento, sine quo actus non sufficeret: sacramentum autem non est forma intrinseca: ergo tunc remittuntur sine intrinseca mutatione.

648. Denique contra omnia tria est, quod bene notavit Card. de Lugo, quia etiam si sine aliquo Doctores, qui doceant, Venialia remitti quoad culpam per quamcunque retractationem

(quæ tamen sententia non videtur esse vera) totum tamen argumentum redit & procedit de remissione pænæ residuæ: hæc, inquam potest à Deo condonari sine mutatione intrinseca per formam impossibilem cum reatu talis pænæ; neq; ab adversariis vnquam est aliqua huiusmodi forma assignata, immò nec huius instantiæ mentio facta, vt suspicari liceat, non fuisse ab illis animadversam, ne dicam, dissimulatam. In illa autem condonatione pænæ retorquentur, & infringuntur argumenta adversariorum, & ostenditur, eandem condonationem ipsius culpæ fieri posse.

## §. III.

*Tertia Probatio, desumpta ex paritate remissionis ab homine factæ, sine immutatione illius cui culpa remittitur.*

649. Probat Conclusio 3. Si de conceptu remissionis culpæ esset, ponere in offendente formam intrinsecam, impossibilem cum offendente, tunc nec homo posset homini remittere offensam sine huiusmodi forma: consequens est omnino falsum: ergo non est hoc de conceptu remissionis, ergo poterit etiam Deus remittere offensam sine huiusmodi immutatione.

Respondet idem Recentior negando hanc ultimam consequentiam & paritatem. In homine enim ideo datur reputatio moralis sine physica, quia homo potest fingere, cum sit mendax, & vniversa vanitas omnis homo vivens: ita potest mutare affectus, cum sit mutabilis, & non potest mutare objecta, cum sit impotens: contra Deus cum sit Veritas, non fingit, cum sit immobilis, non mutatur, cum sit omnipotens, eius affectus consequitur effectum. Sed contra

650. Argumentor primò. Si omnis fictio supponeret in ingente mendacitatem, Christus & Deus fuissent mendaces: vterque enim aliquo modo finxit: Christus enim finxit, se longius ire Lucæ 24. & quod magis est ad propositum, Deus sua lege & pacto finxit nostras voluntates esse voluntates Adami, in ordine ad contrahendum peccatum originale, quæ fictio fundabat moralem æstimationem & reputationem, quasi in Adamo physice peccasset. Si ergo hæc fictio non arguit mendacitatem, cur arguat fictio fundans moralem reputationem, quod ille qui peccavit, perinde sit æstimandus, sicut alius, qui non peccavit? Breuius. Deus vtiq; posset alicui pupillo constituere tutorem, ferre legem, vt Monasterium repræsentet suum professum in ordine ad successionem hereditariam: quo casu fictio ne iuris seu legis divinæ (sicut modò fictio iuris humani) voluntas pupilli esset voluntas tutoris, & Monasterium esset Persona Professi: an ad has fictiones debet Deus supponi mendax, & vniversa vanitas? Caterum paulò post ostendam, nec in homine, nec in Deo vllà fictione opus esse, vt remittat offensam sine forma intrinseca.

651. Argumentor 2. Et quæro ex adversario: quid est illud quod fingit homo, & non potest illud facere, quando remittit injuriam? Non vtiq; hoc quod est: *non fuisse posuam offensam*. Nam Deus, quantumvis infundat Gratiâ, nunquam tamen facit: *nunquam fuisse posuam offensam*: & tamen Deus, per te, facit, id quod homo fingit, quia facere non potest. Dicit adversarius, hominem fingere, seu quantum in se est, affectivè velle, vt, qui illum offendit, habeat formam intrinsecam, quæ ipsum constituat formaliter amicum, & sit impossibilis cum offensa. talem autem formam potest Deus facere, non homo.

Sed contra. Ad hoc vt homo remittat offensam, non requiritur, vt velit alterum fieri positivè amicum: satis est, si destruat jus quasitum ex offensa ad illas actiones quæ conceduntur à natura & legibus positivis offenso contra offendentem: hoc autem jus destrui potest sine fictione formæ intrinseca, nempe per voluntatem similem illi, quâ quis vult aliquid habere pro suo v. g. per voluntatem quâ vult licere offendenti omnia, quæ illi licerent, si pro offensa satisfecisset: & quâ vult esse obligatus ad omnia, ad quæ esset obligatus, si nunquam offensus esset, aut pro offensa fuisset satisfactum. Quæ omnia, seclusis imperfectionibus applicari possunt Deo, vt ex dicendis patebit.

Et hæc circa probationes communes nostræ Conclusionis. Aliam, & meo iudicio efficacem, dabo infra, ex occasione Objectionis quartæ.

## §. IV.

*Declaratur Objectum Condonationis Extrinseca.*

652. Diximus, sufficientem probationem Condonationis extrinsecæ possibilis fore solutionem objectionum. Est autem vna Obiectio, quam excitârunt illi, qui condonationem extrinsecam defendunt, nempe, quia non videtur posse explicari objectum aut modus tendendi in objectum, vi cuius censeatur perinde esse, ac si vel peccatum non esset commissum, vel esset pro illo satisfactum. Hanc objectionem tamen non movent adversarij, & meritò, quia sciunt eam virgere in pluribus alijs effectibus formalibus provenienti- bus à forma intentionali extrinseca, v. g. in impositione signi ad placitum, in condonatione quâ homo homini condonat injuriam &c. Et quamvis hæc res difficulter explicetur, desperandum tamen non est. Omnis quorundam explicationibus, quæ non dant intellectum, sed mera verba, viderique possunt apud Lugo. *disf. 7. de Penit. n. 131.* quasdam apparentiores referemus, & deinde propriam subjungemus.

653. Prima itaque expositio est, objectum illius condonationis esse negationem odij, adeoque Condonationem esse, voluntatem non ha-

kk 3

bendi

bendi odio : quâ voluntate redditur Deo odium impossibile, & evanescit jus ad odium, nam jus ad impossibile nullius est estimationis.

Hæc expositio necdum sufficiens est. Quæro enim, quodnam objectum sit illius odij, quod Deus non vult ponere. Odium enim est actus, quo alicui volumus malum : ergo nolle odisse, est nolle illud malum : debet autem esse malum tale, aut taliter volitum, ut non possit esse sic volitum respectu alicujus, qui non peccavit. hoc ergo est ulterius declarandum quid sit, si non est privatio Gratiæ, & per consequens, si nolitio odij non est volitio Gratiæ.

654. Secunda expositio est P. Comptoni, qui putat rem facillimè expediri, si dicatur, quod voluntas condonandi aliud non sit, quàm quædam inefficax optatio, seu actus quo Deus optat, talem hominem non peccasse. hac enim optatione posita, quæ in modo tendendi est inefficax, censetur in morali estimatione cessare jus quæsitum ex peccato. Verùm hæc expositio non satisfacit. Ex ea enim sequeretur primò, quod si quis ab altero pugnīs injuriōse pulsatus, diceret : optarem, ut non fuisset tam injuriōse tractatus. quod inquam remisisset injuriam, quod ex se absurdum est. Sequeretur 2. quod omne peccatum jam antecederet remissum esset : vellet enim Deus peccatum non fieri. Ratio autem à priori est, quia ex eo quod injuria sit illata, adhuc manet objectum speculativè detestabile sicut antè : quapropter sicut antecederet non censeretur quis remittere injuriam, dicendo : vellem ut me non percuteres : ita nec postea dicendo : vellem ut me non percutissēs. Potest ergo Deus dicere : vellem ut non peccassēs, sed quia peccassī, ego te damnabo, sicut antecederet dicit : vellem ut non peccares. si tamen peccaveris, damnabo.

655. Tertia Explicatio sit Card. de Lugo. Voluntatem condonandi esse voluntatem affectivam destruendi titulum ortum ex peccato ad prout denter judicandum, peccatorem meritò & rationabiliter haberi odio à Deo, seu : esse affectum restituendi hominem in statum antiquæ libertatis & indemnitis : quod totum potest velle Deus absque eo, quod volitio sit formaliter reflexa supra seipsam. Est autem hæc volitio affectus quidam in modo tendendi inefficax, quo Deus non quidem vellet peccatum non fuisse (ut dicebat Comptonus) sed quo Deus vellet illud peccatum non amplius esse sufficiens ad fundandum jus odij. Fateretur autem Lugo, objectum illius affectus esse Ens rationis, non enim vult Deus insufficientiam peccati prout hæc provenit completivè ab ipsa condonatione, sic enim affectus ille vellet formaliter seipsam. Vellet ergo ille affectus, ut abesset à peccato illa sufficientia, quæ peccato est essentialis.

656. Cæterum, hæc explicatio attentè considerata nihilo melior est explicatione Comptoni. Redit enim totum argumentum : etiamsi enim Deus diceret : Vellem ut peccatum non

haberetur hanc sufficientiam (quod reipsa petenda est ac dicere : vellem ut peccatum non esset peccatum) ex hoc tamen non sequitur, quod cessaret titulus ad odium : potest enim Deus dicere : vellem ut peccatum non haberet istam intrinsecam sufficientiam ad fundandum odium, quia tamen illam habet, ego te volo damnare. Quapropter ut censeretur cessare titulus, deberet Deus adde re hunc actum : quia tamen peccatum habet hanc sufficientiam, ego illà non attentà nolo te odisse : sicque per nolitioem odij remitteretur peccatum, quæ erat prima explicatio.

657. Pro solutione difficultatis advertendum est primò, non esse necesse, ut ostendamus omnes modos possibiles, quibus Deus posset condonare peccatum sine mutatione peccatoris, sed est, si vnum assignemus, quo assignato non propterea alios omnes impossibiles asserimus.

Advertendum 2. Condonationem extrinsecam non debere habere objectum non actum, sed actum, qui non sit Condonatio, sed posse specificari ex modo tendendi : sic in Deo actus premiatus versatur circa meritum & primum, circa quæ posset versari actus non premiatus, nempe qui quidem utrumque vellet, sed non ordinaret meritum ad primum propriam proportionem cum illo : talis actus non vocaretur premiatio, ut dixi in lib. I. & dicitur iterum de Incarnat. Nunc

658. DICO 1. Deus potest sine infirmitate vilius doni impossibilis cum peccato, habere affectum talem circa hominem qui peccavit, quo cætera circa eundem hominem ita disponat & ordinet, ut attentis congruentijs, proportionibus, repugnantijs &c. cum ultimo fine, ut talis affectus sit verum dicere : Non obstat peccato, si nihil aliud esset, hic homo consequeretur in instanti ultimam felicitatem.

DICO 2. Hujusmodi affectus est actus sufficienter condonativus peccati pro hoc instanti, adeoque est condonatio extrinseca.

Prima Conclusio probatur, & declaratur. Non solum peccatum habet impossibilitatem cum ultimo fine ejusque possessione, sed etiam prolongatio vitæ & viæ, adeoque verum est dicere : hic homo in instanti A. ideo non est beatus, quia adhuc est in vita, cui respondet temporaria, quidquid sit an simul existat aliud impedimentum Beatitudinis, v. g. peccatum. Quodsi ergo ponamus hominem peccare in instanti A. postea Deus ab æterno habuisse affectum, quo statueret prolongare hominis vitam ultra instanti A. ex præcisè causis, ex quibus eandem prolongaret, non peccasset, & hanc ipsam prolongationem vitæ & viæ ordinaret ad carentiam Beatitudinis præteritæ, tanquam causam adæquatam & totalem insufficientem exclusivam beatitudinis. Brevis : quicumque Deus ordinaret circa hominem ad exigentiam Qualitatis intrinsecè impossibilis cum peccato, posset Deus ordinare sine illa exigentia, cum eadem utilitate ad ultimum finem, ita ut effectus

effectu petinde esset, ac si illa qualitas adesset: sicut de facto circa Quantitatem Eucharisticam ordinat Deus alios effectus non aliter, quam ordinaret ad exigentiam substantiæ si illa adesset. In isto itaque affectu nulla est vitiosa reflexio, sed habet obiectum à se distinctum, ut consideranti facile patet, & adhuc magis patet.

659. Secunda Conclusio etiam declaratur. Ille actus dicitur verè condonativus peccati præteriti, qui à peccato præterito aufert permanentiam habitualement: sed affectus divinus, quo Deus, non obstante peccato commissio, ordinaret omnia hominis, v. g. prolongationem vitæ, illuminationes & auxilia actualia &c. in ordine ad ultimum finem, sicut ordinasset, si homo nunquam peccasset, hic inquam affectus aufert permanentiam habitualement peccati commissi, & quidem aufert statim pro illo instanti, quo incipiunt illi effectus, quos Deus per talem affectum ordinat: ergo est actus condonativus peccati. Major conceditur ab adversariis, & patet ex dictis de Peccato Habituali. Minor ergo probatur. Ille actus aufert à peccato permanentiam habitualement, qui aufert à peccato vim impeditivam felicitatis impossibilis cum peccato, nam permanentia habitualis peccati aliud non est, quam vis impeditiva felicitatis pro tempore sequenti, ut loco citato declaratum est: sed affectus assignatus aufert hanc vim impeditivam, ergo &c. Minor probatur. Affectus assignatus facit, ut peccatum non sit amplius causa exclusivæ felicitatis, seu quod idem est, ut non indicat carentiam felicitatis pro tempore sequente, verificat enim hanc propositionem: *Non obstante peccato commissio in instanti A. si aliud Deus non attenderet, (v. g. prolongationem vitæ) homo consequeretur felicitatem. sive: Non ideo homo post instantis A. in quo peccavit, non accipit à Deo felicitatem, quia peccavit, sed quia Deus vult illum adhuc conservare in via, sicut conservasset, si non peccasset.* Cum ergo Deus sit in suis decretis immutabilis, nec possit hunc affectum revocare, fit ut repugnet impedimento felicitatis proveniens à peccato: ergo vis impeditiva est moraliter ablata, non minus, quam per infusionem Gratiæ auferretur aut impediretur, ne peccatum actuale transiret in habituale. Pro maiore declaratione

660. Obijci posset hoc modo. Homo offensus ab homine, potest habere affectum, quo secum statuat, quod non obstante offensâ & jure inde quæsitum adversus offendentem, velit nihilominus ita se gerere in omnibus circa offensorem, sicut se gessisset, si non fuisset ab illo offensus, v. g. quod nolit exigere ullam satisfactionem, nullam velit instituire actionem injuriarum &c. & tamen per hunc affectum non tollere aut impediretur jus quæsitum ex offensâ ad petendam satisfactionem, instituendam actionem injuriarum &c. ergo talis affectus, sicut non esset in homine, ita nec erit in Deo condonatio offensæ. Ratio est: quia aliud est: *cedere jure suo*: & aliud: *nolle jure suo vii.* affectus à nobis assignatus tantum esset voluntas non vtendi jure quæsitum ex offensâ: ergo cum tali affectu consideret habitualis offensæ.

661. Respondetur, negando paritatem inter Deum & Hominem. Disparitas fundamentalis est jam indicata, nempe mutabilitas hominis per revocationem prioris actus, & immutabilitas divinæ voluntatis. Nam, ex eo quod v. g. voluntas Testatoris sit semper revocabilis & ambulatoria vsque ad mortem, inde fit, ut per factum Testamentum nihil juris deperdat, nec hæres scriptus Jus acquirat. Itaque propter mutabilitatem hominis non redditur impossibilis vis alicujus Juris per voluntatem non faciendi, ad quod habet Jus. Vtremus, quando homo destruit aliquod Jus, quod habebat adversus alterum, subit simul obligationem non faciendi id ad quod habebat Jus, altero invito, & sic alter acquirit Jus contra illum: atqui voluntas non vtendi jure suo, non est voluntas hoc modo se obligandi: unde si illum affectum revocaret, & vteretur jure suo, esset quidem inconstans, sed non committeret injuriam. Econtra, Deus est immutabilis, & insuper nullius obligationis moralis capax, nec homo potest acquirere Jus adversus Deum, & in Deo loco obligationis est necessitas metaphysica faciendi quod semel voluit, ut dicam Tract. de Incarn. & adversarij consentiunt. Ergo non est paritas inter Deum & hominem quoad præsens punctum.

662. Declaratur disparitas amplius, & à priori. Affectus condonativus tam in Deo quam in homine, debet ita ordinare offensam præteritam ad aliquam formam impossibilem cum jure ad odium (sive illa sit intrinseca sive extrinseca) ut auferatur impossibilitas peccati præteriti cum tali forma, v. g. cum felicitate æterna, & quidem quomodo id præstet affectus divinus à nobis assignatus, jam declaratum est. Affectus verò hominis non vtendi jure quæsitum, non ordinaret irrevocabiliter ad aliquam hujusmodi formam: quapropter ut homo remittat efficaciter offensam, debet habere hujusmodi actum: *Volo ut Deo displiceat, si à te propter offensam præteritam exigam satisfactionem, eo genere displicentiæ, quo Deo displiceret, si eam exigere à te, quando nunquam me offendisses.* Ecce! hic actus ordinat offensam præteritam ad displicentiam Dei; & quia Deus ut auctor naturæ se accommodat hujusmodi voluntati (prout docebo in tractatu de Contractibus) ideo per talem displicentiam divinam inducitur obligatio ex Justitia, non exigendi satisfactionem &c. hæc autem Displicentia est forma destructiva Juris quæsitum ex offensâ, & tollit vel impedit ipsam habitualement perseverantiam actualis offensæ.

Confirmatur. Nam si Deus absque vlllo actu hominis, poneret ejusmodi displicentiam, prohibitoriam exactionis satisfactionis, eamque revelaret, tolleretur Jus hominis quæsitum ex offensâ, sicut potest alia Jura homini etiam invito auferre, cum sit supremus Dominus. Jam verò quia

quia Deus non habet aliū Superiorem, cui sit subordinata sua voluntas, ideo in Deo non potest existere ejusmodi actus: adeoque Jus quæsitum ex offensa tollitur per actum quo Deus non vult hoc Jure uti, siue, quod idem est, quo Deus ordinat hominem & alia circa ipsum, à tali determinato instanti, post commissum peccatum, ad felicitatem, eo modo quo diximus.

663. Quæres, utrum juxta nostram explicationem possit Deus remittere vnum peccatum sine altero. *g.* Affirmativè, quia potest habere talem affectum, vi cuius cessaret vis impeditiva vnius peccati & non alterius, quia verificaretur hæc propositio. Si non esset peccatum B. Deus non obstante peccato A. ordinaret cætera ad finem ultimum &c. hujusmodi affectus esset, si Deus exigeret aliquam satisfactionem pro peccato B. nullam exigendo pro peccato A. in hunc finem, vt exhibitâ satisfactione omnia cætera ordinaret ad ultimum finem, sicut ordinaret, si nullum peccatum positum esset: & tunc esset remissum peccatum, quia per illum affectum verificaretur hæc propositio. si non esset peccatum B. omnia ordinarentur ad ultimum finem, sicut si nullum peccatum positum esset.

664. Hinc autem confirmari posset nostra Conclusio. Durum enim videtur negare, quod Deus possit vnum peccatum remittere sine altero, prout tamen adversarij negare debent, quia Gratia est impossibilis cum omni peccato, & sine Gratia non potest per illos remitti peccatum. Durum, inquam, id est, & nullo modo legitime deducitur ex eo, quod Deus habeat in sua potestate formam impossibilem cum omni peccato. Quis enim dicat, quod, si homo haberet in sua potestate producere in offendente qualitatem impossibilem cum offensa quacunque, quod hoc ipso non posset amplius vnam offensam remittere extrinsecè sine altera, sicut defacto potest? cur tunc propter superadditam virtutem minus posset, quàm defacto potest sine illa? ergo neque Deo debet obviare potentia producendi Gratiam impossibilem cum omni peccato, quominus possit sine productione gratiæ remittere vnum peccatum sine altero.

#### §. V.

*Solvuntur Objectiones contra Condonationem extrinsecam.*

665. Objicit 1. Recentior ille Romanus. Si vera est sententia admittens possibilem condonationem extrinsecam, sequitur, sententiam hæreticorum, volentium, defacto hominem justificari sine Gratia infusione, esse solum falsam, quia est contra fidem, non autem esse falsam, quia est contra rationem: atqui nostri adversarij docent, quod hæreticorum sententia sit etiam contra rationem: ergo magis recedunt ab illa.

*g.* 1. Quin immò sententia hujus recentioris de Qualitate puchrificativa & impossibilem condonationem extrinsecam, illa inquam præbere posset aniam hæreticis cavillandi infusione Gratia, ejusque necessitatem ad remissionem peccati: nam vt adversarius vult, hæc Gratia infusio & necessitas aliter defendi non potest, quàm asserendo, quod Gratia sit Qualitas pugnans cum aliqua physica intrinseca pulchritudine naturaliter debita ejusque exclusiva: quæ pulchritudo cum abest DD. non agnoscat, sed rideatur, inferentia retici, Gratiam, prout ab adversario defenditur, esse commentum repugnans lumini naturæ; non lumen naturæ negat, in statu elevationis excludit aliquam pulchritudinem physicam naturaliter debitam. *g.* 2. Et directè, Hæreticos errare in hoc, quod velint condonationem extrinsecam sufficere ad constituendum justum, Justitiā constituentem filium Dei adoptivum, cum jure ad hereditatem æternæ vitæ & felicitatis, quod non solum est contra fidem, sed etiam contra rationem superius propositam, quia repugnat participatio Naturæ divinæ sine principio intrinseco elevationis. Quod autem homo possit fieri ex inimico noster, sine aliquo intrinseco, tantum abest voluisse Tridentinum damnare in hæreticis, vt potius oppositum non obscure supponat scilicet. *cap.* 7. vbi disertè dicit, quod Justificatio non fit nisi sola peccatorum remissio, vt volebant hæretici, & sanctificatio & renovatio interioris hominis per susceptionem Gratia. Ecce! quàm clare supponat, solam remissionem peccati esse quid minus quàm sit sanctificatio, & hanc plus dicere et conceptu suo: ergo potest secundum Tridentinum intelligi remissio sine sanctificatione, quod tamen adversarij negant. Est ergo nostra doctrina conformis sensui qui fuit Patrum Concilij.

666. Objicit idem Recentior 2. & addit hoc argumentum esse basin totius questionis. Et eo quod homo remittat homini offensam, is cui remittitur, non fit de malo bonus, hoc est manifestum ex se. econtra homo fit bonus ex eo quod Deus ei remittit, & desinit ipsum odisse. Probatur ex 12. Ecclesiasticis: *Altissimus eduxit hæreticos ex Pl. 44. dilexisti justitiam, odisti iniquitatem &c.* e converso ij qui renascuntur per remissionem boni existunt & Deo dilecti, secundum illud: *Dominus diligit justos.* & 1. Jo. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semper Dei in eo manet, & peccare non potest, quoniam ex Deo natus est:* vbi patet, quod qui nascitur ex Deo per remissionem, est simpliciter bonus: atqui homo non potest esse simpliciter bonus, neque totaliter nec partialiter per extrinsecum: ergo licet homo possit remittere per extrinsecum, Deus non potest. Quod autem aliquis non possit esse bonus per extrinsecum, probatur ex Philospho in Ethicis, vbi ad bonum hominis requiruntur omnes virtutes, quæ certè sunt intrinsecæ: & ex politicis, quod vt homo sit bonus civis, requiruntur quod

tur quòd amet bonum commune. Adducit de-  
nique ad hoc ipsum testimonia S. Augustini & S.  
Thomæ.

667. Hæc obiectio, sublati æquivocationi-  
bus, caret difficultate: æquivocationes autem  
committuntur in vocibus *Mali*, *Boni*, *Odij*, *A-*  
*moris*. Respondebo ad singula. Ex eo, inquit,  
quòd homo homini remittit offensam, offensor  
non fit ex malo bonus. Ita est, loquendo de bo-  
nitate physica, immò hoc sensu etiam anteceden-  
ter ad remissionem, non est malus: nam offen-  
sa, tametsi fuerit actus malus, attamen physicè  
jam præterijt, & perinde est ac si non fuisset: at  
verò eo modo quo ante remissionem est malus,  
nempe civiliter, hoc est, obnoxius actioni inju-  
riarum, & obligatus ad satisfaciendum &c. cum  
hæc cessent per remissionem injuriæ, fit bonus  
civiliter, quia ut sic definit esse malus, & habet se  
civiliter ac si nunquam offendsset. Dicitur in  
objectione 2. Quòd homo fiat bonus ex eo,  
quòd Deus definat eum odisse, & remittat, in  
quem finem adducuntur scripturæ textus. Ver-  
um in his est sermo de statu Elevationis, in quo  
Deus solum definit odisse, quando positivè as-  
sumit ad amicitiam, quod tamen non est de con-  
ceptu condonationis ut sic. In statu naturæ pu-  
ræ homo per condonationem non aliter fieret bo-  
nus, quàm quòd desineret carere obstaculo felici-  
tatis, ut suprà explicatum est; & idem esset, si  
Deus in statu elevationis nollet Gratiâ infun-  
dere pro illo instanti, pro quo condonaret pec-  
catum, modo superiùs explicato. Dicitur 3.  
Quòd qui nascitur ex Deo, est simpliciter bonus.  
ita est, quia accipit Gratiâ sanctifican-  
tem, quâ fit filius Dei, & quæ est semen Gloriæ.  
at verò in statu naturæ puræ non daretur hoc se-  
men: ergo tunc per remissionem peccati non  
nascitur homo ex Deo: ergo per remissionem  
non fieret physicè & intrinsecè simpliciter bonus.  
Neque verum est, quod tacitè supponitur in ob-  
jectione, quasi Deus omni suo amore quo ali-  
quem amat, reddat amatum intrinsecè meliorem,  
quàm esset sine illo amore. Deus enim dicitur  
ex amore nobis conferre beneficia extrinseca, ut  
removere occasiones peccandi: immò quando  
nos reddit physicè peiores, infligendo morbos,  
ad exercendam patientiam, & intendendo resipi-  
scentiam: immò Deus dicitur etiam amare amo-  
re benevolentia peccatores, quando illis immit-  
tit illuminationes salutares, & tamen per has non  
efficiuntur simpliciter boni eâ bonitate quam re-  
quirat obiectio. Adducitur 4. Testimonium  
Aristotelis, quòd homo bonus debeat habere om-  
nes virtutes, quæ utique sunt intrinseca: sed  
quid hoc ad rem? Nego, quòd Deus remittendo  
culpam debeat homini in statu puræ naturæ in-  
fundere omnes virtutes: quia non est necesse,  
ut Deus per remissionem culpæ efficiat hominem  
simpliciter bonum in eo sensu, quo Aristoteles  
locutus est. Er hæc circa specialia argumenta  
hujus Recentioris.

668. Obijciunt alij 3. Amare, est velle  
bonum, & odisse est velle malum, seu nolle ali-  
quod bonum: ergo desinere odisse, est velle illud  
bonum quod per odium negabatur: atqui Deus  
condonando peccatum definit odisse: ergo debet  
conferre aliquod bonum. Porro cum amor Dei  
sit efficax, non satis est conferre illud bonum  
affectivè tantum, sed debet illud conferre effecti-  
vè. R. Negando, quòd semper *Amare* sit velle  
bonum intrinsecum pro illo instanti, pro quo  
dicitur jam amare, sed quandoque sufficit velle  
pro nunc aliquod bonum extrinsecum, cum il-  
lius ordinatione ad bonum intrinsecum inde pos-  
sita procurandum. Sic parentes dicuntur amare  
filios pro tunc, quando illis actu prospiciunt de  
bonis instructoribus, ordinando hos ad perfectio-  
nem intrinsecam virtutum inde secururam. Pari  
modo diceretur Deus in statu puræ Naturæ amare  
hominem pro eo tempore, pro quo ordinaret eum  
ad ultimam felicitatem, prorogando vitam, ut ha-  
beret occasionem merendi &c. Deinde, odisse  
propter delictum A. non est ita nolle aliquod bo-  
num, ut, si non odisset propter delictum A. hoc-  
ipso daret bonum, alioquin Deus non odisset ho-  
minem propter secundum peccatum stante prio-  
re: sed est: tali affectu negare aliquod bonum  
propter delictum A. ut illud negaret, etiamsi om-  
nes aliæ causæ negandi abessent, esto defacto  
etiam ob alias causas negetur, & negaretur etiam  
absente delicto. Hinc inferitur, quòd possit in-  
telligi desitio odij, quin hocipso actu conferatur  
bonum oppositum: ad desitionem enim odij  
satis est, reduci ad illum statum, in quo homo  
fuisset, si non peccasset: ergo si ex alijs causis ca-  
ruisset aliquo bono, etiamsi non peccasset, satis  
erit ad desitionem odij, quòd verificetur hæc pro-  
positio: *si aliud non esset, homo haberet hoc bonum  
non obstante peccato præterito.*

669. Obijciunt 4. Si posset dari condo-  
natio extrinseca, sequeretur, quòd defacto re-  
missio peccati nunquam fieret primò per ipsius  
Gratiæ acceptionem; sed per actum divinum,  
quo Deus vult dare Gratiâ, jam esset anteceden-  
ter pro priori naturæ remissum: consequens non  
videtur coherere cum doctrina Conc. Tridenti-  
ni, quod videtur Justificationem tribuere Gratiâ.  
Sequela verò probatur: nam actus quo Deus vult  
dare Gratiâ, est actus æquivalens illi, quo Deus  
vellet condonare sine infusione Gratiæ: unde si  
per impossibile non sequeretur Gratiâ, censeretur  
peccatum remissum per affectum dandi Gratiâ.  
Ita ferè Vasquez, & ex eo Esparza.

Occasione hujus objectionis, confirmabo  
paulò post Conclusionem Argumento, quòd mihi  
solum sufficeret, si cætera omnia abessent: prius  
tamen objectioni satisfaciendum est. Imprimis  
argumentum in adversarios clarè retorquetur, &  
quidem dupliciter: Primò sic. Si per impossi-  
bile ad affectum dandi Gratiâ non sequeretur  
Gratiâ, debent ipsi adversarij fateri juxta sua prin-  
cipia, quòd per illum affectum esset remissum  
peccatum:

peccatum : atqui tunc esset idem actus qui est modò : ergo etiam modò est condonatio formalis. Minor est adversariorum. Major probatur. Si per impossibile Gratia non sequeretur, Deus se haberet, sicut se modò habet homo, qui non habet potestatem ponendi formam impossibilem cum offensa : & ideo per solum affectum condonat, quæ est doctrina adversariorum : ergo etiam affectus Dei in illa hypothesi esset vera condonatio. Secundò, & adhuc efficacius retorquetur argumentum hoc modo. In quocunque Signo Naturæ aufertur aliqua pars constitutiva peccati habitualis, in eodem signo aufertur peccatum habituale, quæ propositio est etiam adversarij evidens. subsumo : atqui in priori signo Naturæ ad Gratiam, hoc est, in eo signo, quo intelligitur Decretum Dei dandi Gratiam, tollitur aliquod constitutivum peccati habitualis in sententia adversariorum : Ergo tollitur etiam peccatum habituale ; quod tamen ipsi reputant absurdum. Minor probatur. Pars constitutiva peccati habitualis secundum adversarios est, *Dependentia* privationis Gratiæ à peccato præterito : sed hæc dependentia tollitur formaliter per Decretum dandi Gratiam : ergo tollitur aliqua pars constitutiva peccati habitualis. Major est adversariorum, & facillè probatur ex eorum principijs. Nam secundum ipsos Privatio Gratiæ non quomodo-cunque constituit peccatum habituale, sed ut dependens à peccato præterito : ergo hæc dependentia est pars constitutiva peccati habitualis. Minor probatur etiam ex eorundem principijs. hæc enim dependentia privationis aliud non est, quàm Decretum Dei, quo hanc privationem infligit in pœnam peccati : sed hoc Decretum formaliter tollitur per Decretum dandi gratiam : ergo dependentia privationis Gratiæ à peccato præterito tollitur formaliter per Decretum dandi Gratiam : ergo à primo ad ultimum, in eo signo in quo concipitur existere hoc decretum pro priori Naturæ ad Gratiam, jam est formaliter ablatum aliquod constitutivum peccati habitualis, nempe dependentia. Ergo jam est remissum peccatum habituale. Ergo ipsis est solvendum proprium argumentum ; qui tamen non poterunt vi solutione quam ego dabo, & ideo argumentum adversarios solos tenet.

670. Durandus respondet ad objectionem, concedendo sequelam, nempe quòd in priori signo ad Gratiam esset remissum peccatum, & negat hoc esse absurdum, aut contra aliquam auctoritatem. Gratia enim non dicitur esse nuda remissio peccati, hoc est, faciens præcisè ex inimico non inimicum (hoc enim putat fieri formaliter per decretum) sed est forma positivè justificans, & faciens amicum : & sic est plus quàm mera condonatio. Deinde illi auctores, qui admittunt, posse peccatum divinitus consistere cum Gratia, admittunt eandem sequelam, & respondent eodem modo ut Durandus. Et mirum sanè est, ab adversarijs pro tanto absurdo reputari,

peccatum mortale non remitti primò per ipsam Gratiam, sed per Decretum in priori signo naturæ, & non pariter absurdum videri, peccatum veniale nunquam remitti primò per Sacramentum pœnitentiæ, sed per actum retractativum peccatorem semper supponi remissum. Nihilominus ego responsione Durandi non vtor, sed aliter

671. Respondeo ad objectionem : distinguendo inter remissionem Activam & Passivam ex vna parte, & remissionem simplicem ex altera parte, & dico, quòd quando concurrunt, & conjungitur remissio activa cum passiva, quòd inquam tunc remissio activa sit tantum remissio casualis, remissio verò passiva sit remissio formalis : unde si per impossibile daretur Decretum dandi Gratiam, & non daretur Gratia, non esset peccatum remissum formaliter, sed tantum casualiter : Sicut si per impossibile in divinis daretur generatio activa sine passiva, non daretur Verbum formaliter, sed tantum originaliter. Quando verò daretur condonatio extrinseca, hoc est, decretum non intendens dare Gratiam nunc, tunc illud decretum esset condonatio formalis. Rationem discriminis mox dabo. Breviter ergo negatur sequela, & negatur, decretum dandi gratiam esse æquivalens formaliter, & simile decreto quo extrinsece condonaretur peccatum : Differentia declaratur. Tametsi multi actus homini sint, de quibus verificatur illa Juris Regula : *Si non valet quoad totum, valet quantum valet potest.* Non est tamen hoc univèrsaliter verum. Potest enim aliquis intendere aliquod Bonum majus, in quo eminenter continetur bonum minus, & tamen, si præter intentionem operantis interveniat impedimentum quoad bonum majus, non valet actus, ne quidem quoad bonum minus, quamvis operans posset velle minus bonum. Exemplum. Vult quis facere professionem solennem in Religione, in qua eminenter continetur votum Castitatis simplex : si tamen subsit impedimentum occultum v.g. defectus ætatis &c. non valet professio, ne quidem in vim voti simplicis, etiamsi ille homo si vellet, posset valèdè emitte votum simplex Castitatis. Item Dominus vult suam servam efficere liberam, ducendo illam uxorem, in quo Matrimonio eminenter continetur Manumissio nuda : Si subsit impedimentum Matrimonij, non propterea fiet illa femina libera, aut censeretur esse simpliciter manumissa, etiamsi Dominus, si vellet, posset simpliciter Manumittere. Jam ad rem nostram.

Cùm Deus defacto statum elevationis inter statum amici & inimici, peccatoris, & positivè sancti seu Filij Dei, cùm tamen hujusmodi status medius non repugnet, hinc Deus defacto volendo dare Gratiam, habet decretum ita remittendi peccatum per assumptionem ad amicitiam, adeoque per infusionem Gratiæ (quod est majus bonum quàm nuda remissio) ut tamen si per impossibile

possibile non posset obtinere totum, vi praesentis affectus nollet Bonum minus, hoc est, nollet remissionem nudam, quā poneretur homo in statu Medio: quem Deus simpliciter non vult. Ergo voluntas dandi Gratiam non est condonatio formalis, sed tantum casualis. At verò voluntas ordinans hominem ad felicitatem absque infusione actuali Gratiae, prout supra condonationem extrinsecam explicavimus, esset formalis condonationis, quia veller illum statum medium. Quapropter licet objectum prioris Decreti eminenter contineat objectum secundi decreti, hoc est, purae condonationis, primum tamen decretum non aequivaleret secundo, eo modo quo intendit obiecto, prout exemplis & ratione manifestum probatum est.

672. Ex hoc ergo discursu formatur contra adversarios hoc argumentum. Si non esset possibilis condonatio extrinseca, sequeretur, quod peccatum habituale constitueretur intrinsicè per privationem Gratiae non quomodocunque, sed insuper per dependentiam illius à peccato praeterito: sed hac dependentia non potest esse pars constitutiva peccati habitualis: ergo debet admitti possibilis condonatio extrinseca. Sequelam admittunt adversarii, ut supra vidimus: Minor probatur. Si dependentia privationis Gratiae à peccato praeterito esset pars constitutiva peccati habitualis, sequeretur, peccatum habituale destrui in priori signo ante acceptionem Gratiae, nempe in illo signo, quo intelligitur existere Decretum dandi Gratiam: hoc enim decretum est formalissimè oppositum decreto non dandi gratiam in penam peccati; in quo decreto consistit Dependencia privationis Gratiae à peccato praeterito: atqui secundum adversarios est absurdum in signo priore ad Gratiam tolli peccatum habituale, vel aliquam partem illius: ergo dependentia privationis Gratiae à peccato praeterito non est pars constitutiva peccati habitualis. ergo est admittenda possibilis condonatio extrinseca, quia non potest aliter defendi, quod dependentia privationis Gratiae à peccato non sit pars constitutiva peccati habitualis. si autem admittatur condonatio extrinseca, facile defenditur, nempe: peccatum Habituale consistit in peccato praeterito, negatione condonationis extrinsecae, & Gratiae; Istitis Tribus positis, est positum peccatum habituale, etiam si privatio Gratiae non pendeat à peccato praecedente.

673. Obijciunt ultimò. Ad hoc ut varietur denominatio Inimici, in Non Inimicum, debet fieri aliqua mutatio: atqui in Deo nulla potest dari mutatio: actus enim Dei sunt aeterni: ergo debet fieri mutatio extra Deum: atqui ridiculum esset dicere, hanc mutationem fieri v. g. in concavo Luna: ergo debet fieri in offensore.

Idem argumentum alijs verbis proponit P. Esparza. Repugnat, vnum eundemque hominem pro diversis temporibus esse dilectum aut odio habitum à Deo, seu simpliciter, seu secundum

dum magis & minus, quin pro iisdem temporibus conferat illi bonum, aut inferat illi malum speciale, cum eadem respectivè differentia penes magis & minus. Quia omnes actus divini sunt essentialiter aeterni, ideoque secundum se praesè correspondent ex aequo omnibus & singulis temporum differentijs. Ergo non possunt fortiri ullam diversitatem, nec ullos effectus formales seu denominationes diversas impertiri aut ipsi Deo aut creaturis pro diversis temporibus, nisi propter diversitatem effectuum, quos pro illis intendunt aut inducant.

Hoc totum argumentum solvendum imprimis est illis, qui privationem Gratiae ponunt in aliquo positivo, nec aliud reperiunt quam actum divinum. Ille actus divinus est aeternus, & tamen denominat hominem privatum gratia pro vno tempore, & non pro alio. Deinde solvendum est specialiter P. Esparza. Nam quando homo committit plura peccata, est magis odio habitus: & tamen hac denominatio non provenit ab aliqua forma de praesenti diversa, nam privatio gratiae est eadem quae esset, si pauciora peccata posita essent: dependentia autem à pluribus peccatis non est essentialis privationi, sed est actus divinus: & tamen hac denominatio non convenit homini semper, sed primum post commissum secundum peccatum: pro tunc enim primum dicitur magis odio habitus: ergo potest homo denominari diversimodè pro diversis temporibus ab eodem actu divino.

Confirmatur: Effectus formalis: *Esse amatum*: Non est à Gratia tanquam à forma, sed est ab amore tanquam actu intentionali: atqui iste actus divinus est quidem aeternus, nec tamen pro semper denominat amatum, sed solum pro tunc quando ponitur Gratia. & posito amore, si per impossibile non poneretur Gratia, adhuc esset positus effectus formalis *Amari*, licet non effectus formalis *Sancti*.

674. Confirmatur ulterius alijs exemplis. Deus defacto mutavit obligationes veteris Testamenti, easque sustulit. Forma hujus denominationis: *esse obligatum*: est actus divinus: hic autem actus est aeternus, & tamen obligabat pro tempore veteris Testamenti, non item pro tempore novi Testamenti, & nulla alia intervenit mutatio intrinseca in personis obligatis, quam mutatio temporis seu durationis.

675. Confirmatur 2. Ex negatione mundi ante existentiam mundi, quam negationem adversarii identificant cum actu divino, nolente mundum. Ille actus est aeternus, & tamen non denominat pro omni tempore mundum non existentem seu nolitum; quid ergo includit hic effectus formalis: *mundus nolitum* pro instanti A. nihil aliud quam mundum possibilem & actum divinum: atqui vtrumque ponitur etiam in instanti B. quando mundus existit actu: & tamen non est mundus nolitum pro instanti B. ergo sola variatio temporis sufficit, ut actus divinus tribuat effectum formalem pro vno & non pro alio.

L 1 2

Confirma-

Confirmatur 3. Ex denominatione *Gratie efficacis*, quæ denominatione convenit entitati auxilij, ex se conjungibili tam cum consensu quam cum dissensu, præcisè à scientia media, ut adversarij docent, & tamen eadem Scientia media denominat auxilium efficax pro vno instanti v. g. pro instanti B. & non pro instanti A. in quo consensus non esset futurus.

676. Obiectio ergo est Sophisma, quale usurpavit Commentator Averroes, volens probare aternitatem mundi ex aternitate actus divini, non distinguens inter hæc duo: *Deus ab æterno vult mundum.* &: *Deus vult mundum pro tota aternitate.* Sic adversarij confundunt hæc duo: *Deus ab æterno vult hominem esse inimicum:* &: *Deus vult hominem esse inimicum pro aternitate.* Sicut ergo Deus ab æterno & per totam aternitatem, vult mundum esse nunc, & non antè; sic actus divinus suprà explicatus per totam aternitatem vult hominem esse inimicum nunc, & non esse inimicum postea, quia scilicet Deus pro nunc ita ordinat res hominis, ut si homo in hoc nunc moreretur, damnaretur propter peccatum præcedens; at verò pro instanti B. v. g. ita ordinatur omnia circa hominem, ut si non ex alijs causis vita illius prolongaretur, sed permetteretur mori, vi præsentis decreti verum esset dicere, quod salvaretur, quia nimirum in instanti B. non negatur illi felicitas intuitu peccati commissi, sed ex alijs causis. Itaque variato solo tempore est verum dicere: Homo vi actus divini est inimicus nunc, & postea non erit donec iterum peccet. & sic transitus à denominatione Inimici in denominationem non inimici, non importat aliam mutationem quam temporis. Sicut quando dominus libri habet actum indivisibilem quo dicit: ego volo librum hunc esse meum per hanc horam, sed post horam volo esse primò occupantis: transit liber ex suo in non suum præcisè per variationem temporis, & ab eodem actu denominatur *suus* pro tempore præcedente, & *non suus* pro tempore sequente.

Ex dictis colliges, quare actus Prædestinationis non sit actus condonativus omnium peccatorum prædestinati. nempe quia non verificat illas conditionales, quas diximus esse verificandas per actum condonativum, ut patet tum ex dictis hic, tum ex dictis libro 1. cap. de Prædestinatione, nec vacat, iterum ad longum repetere, cum satis superque dictum sit de hac questione.

## CONTROVERSIA VI.

*Utum Gratia sanctificans possit divinitus conjungi cum Peccato Mortali & inimicitia.*

677. Prima sententia tribuitur Scoto & Nominalibus, quod Gratia non habeat ullam oppositionem, ne quidem connaturalem cum

peccato, qualem solent habere formæ contrarie, v. g. calor & frigus, sed ex mera ordinatione Dei volentis ad præsentiam Gratia remittere peccatum. Cui sententiæ videtur favere Conink, 22. de Charit.

Secunda docet, dari quidem oppositionem naturalem inter Gratiam & Peccatum Mortale, posse tamen per absolutam Dei potentiam consistere: in quo casu foret homo simpliciter inimicus Dei, & non simpliciter seu formaliter inimicus, sed tantum existentialiter. Vnde inferunt, quod forma adequata Justificationis non sit Gratia sola, sed Gratia cum actu condonativo, quem actum volunt procedere ex prævisa existentia & exigentia Gratia; unde supponunt dari in Deo decretum virtualiter intrinsecè distinctum, quorum vnum præsupponatur ad alterum, & sit separabile (suo modo) ab illo: quam sententiam impugnarimus in 1. lib. Si quis autem secundum sententiam ibi traditam adhuc defendere veller, Gratiam posse consistere cum peccato mortali, deberet dicere, quod Justificatio formaliter & adequate consistat in Gratia ut procedente ex decreto condonativo peccati. Ex quo ulterius consequens est, quod Gratia non expellat peccatum, sed præsupponat semper illud jam ablatum per condonationem, & solum superaddat effectum formalem Sancti, quod Durandum docuisse vidimus præcedente Controv. Hanc secundam sententiam tenent Suarez, Bellarminus, Arriaga, Oviedo, Ripalda.

Tertia sententia negat, etiam de potentia absoluta posse consistere cum Peccato Mortali Gratiam. Ita schola tota Thomistarum, quam sequuntur Vasquez, Becanus, Granados, Lugo, Pallav. Esparza. Cum quibus

678. DICO, Gratiam non posse nec divinitus consistere cum peccato Mortali. Conclusio hæc probari solet à suis Auctoribus diversimodè. Illi, qui negant posse dari condonationem extrinsecam, ex hoc ipso fundamento eam deducunt; non potest enim assignari aliud donum intrinsecè impossibile cum peccato, si Gratia illud non est: atqui debet condonatio fieri per formam impossibilem cum peccato, si non est possibilis condonatio extrinseca: ergo Gratia est illa forma.

679. Ceteri probant Conclusionem præcipuè ab auctoritate, maxime Concilij Tridentini, quod sess. 6. c. 7. recensens omnes causas Justificationis, volensque tradere causam formalem, hoc est, formam à qua denominamur Justi, ait, unicam causam formalem nostræ Justificationis esse Justitiam, non quæ ipse Deus justus est, sed quæ nos justos facit, quæ videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ &c. justitiam in nobis recipientes. Vnde sic argumentantur. Si Gratia stare posset cum peccato, jam non esset unica causa formalis, hoc est, adequata nostræ Justificationis, ut ait Trident. posset enim esse in subjecto, & non tribuere formam effectum

effectum formalem Iusti, adeoque completeretur per ipsum actum condonativum, ut teneatur ad veritatem. Ergo &c.

680. Dupliciter possent adversarii eludere vel hoc argumentum. Primò dicendo, quòd intentio Concilij solum fuerit per tò, *Vnica*, excludere illas formas, quas assignabant hæretici, nempe Iustitiam Dei aut Christi, quæ ipsi Iusti sunt, & quorum Iustitiam dicunt nobis imputari. Sed contra hanc responsionem urget Comptonus. Concilium non solum voluit damnare sententiam Lutheri, sed etiam Bucerii, asserentis, quòd Iustificatione formaliter consistat quidem in aliqua forma intrinseca, sed imperfecta, cuius defectum suppleat favor Dei extrinsecus: & hanc fuisse mentem Concilij ait asserere Theologos.

681. Responderent fortasse 2. Concilij intentionem fuisse, assignare illam formam positivam, quæ differt iustus ab iniusto, quæ est sola Gratia sanctificans, nec curasse de reliquis scholasticis dissertationibus. Caterùm etsi hoc modo eludi posset auctoritas Concilij, clarum tamen est, nostram sententiam esse ejus verbis magis consentaneam.

Probatur Conclusio 2. & efficacius, auctoritate Scripturæ S. quæ oppositionem inter Peccatum & Gratiā sæpius exprimit per oppositionem rerum corporaliū, semper utendo exemplis, in quibus est oppositio privativa, adeoque omnimoda impossibilitas. ad Ephes. 5. *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* 2. ad Cor. 6. *Quæ participatio Iustitiæ cum Iniquitate, quæ Societas luci ad tenebras.* alijs in locis comparantur sicut mors & vita. ad Rom. 8. vocatur Gratia Spiritus vite. Comparantur etiam ut agri- cultor & lanitas, quo sensu dixit S. Augustinus de Spiritu & lit. c. 30. Per Gratiā sanatio animæ ablatione peccati. Denique S. Joannes epist. 1. c. 3. comparat Gratiā semini Dei, & dicit: *Omni qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ejus in eo manet, & N.B. non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quæ verba, ut benè ponderat P. Esparza, sunt accipienda de potentia absoluta: nam miraculum quo Deus conjungeret Gratiā cum peccato, esset miraculum indecens Deum, & intrinsecè turpe, atque ita supernaturale, ut simul esset infra naturale, hoc est merè deprimens naturam seu naturalem exigentiam Gratiæ; qualia miracula implicare diximus lib. 1. Sanè vel nullum est excogitabile miraculum indecens divinam Sapientiam & Iustitiam Providentialem, vel hoc est unum: dari à Deo alicui participationem sue Naturæ, & adoptionem in filium, & pulchritudinem supernaturalem suam, cuius homo purus capax est, & tamen velle talem miraculosè odisse: Et hæc est Conclusionis probatio non solum ab Auctoritate, sed etiam ratione deducta.

682. Probatur Conclusio 3. Non potest ostendi vlla implicancia qualitatis supernatura-

lis, habentis impossibilitatem cum peccato: nemo enim unquam ex implicancia hujus qualitatis tentavit probare possibilitatem Condonationis extrinsecæ. Supposita ergo possibilitate, cum Deus defacto decreverit nunquam dare Gratiā sine remissione peccatorum mortalium, meritò supponimus Deum potius produxisse qualitatem impossibilem cum peccato quàm impossibilem: (demus esse talem possibilem) ad quid enim obsecro serviret illa imperfectio compossibilitatis cum peccato, quæ nunquam in effectum deduceretur? Et hæc sunt probationes aliorum.

683. Probo Conclusionem 4. Conveniunt Theologi, vix vno excepto, quòd supernaturalitas sit tanta perfectio, ut propterea actus supernaturales intellectuales per nullam potentiam possint esse falsi, sed sint signa essentialiter vera, etiam quando versantur circa objecta contingentia. Pari modo de Characterē nemo unquam, quod sciam, ausus est dicere, posse divinitus esse signum falsum, hoc est, posse existere non præcedente Sacramento, significat enim deputacionem specialem ex collato Sacramento. Hoc posito sic argumentor.

Gratia sanctificans est ex intrinseco & primario prædicato, signum affectus amicabilem, exclusivè peccati, quatenus exigit ab illo affectu procedere, & est Entitas supernaturalis, immò radix cæterarum: ergo non debet posse esse signum falsum, sed debet non minùs esse signum essentialiter verum, quàm actus fidei de Antichristo futuro, & character sacramenti accepti: atqui non esset signum essentialiter verum, sed posset divinitus reddi signum falsum, si tantum haberet exigentiam illius affectus dispensabilem: sicut actus fidei & Character esset falsus, si non obstante ejus exigentiâ intrinsecâ, posset objectum non existere: & sicut visio oculi esset fallax, si exprimeret albedinem in pariete nullâ albedine ibi existente, sed Deo ejus vices supplente. Ergo, &c. Antecedens adversarii non negant, & declaratur. Nam sicut Character est quædam quasi aurea Bulla seu sigillum (ut loquitur Card. da Lugo) quo signatur servus Christi in ordine ad certas functiones, ita Gratia est etiam quædam Bulla, vel, si mavis, testamentum scriptum in cordibus nostris, quo Deus testatur, se nos in filios adoptare, & heredes instituere: ergo habet perfectam rationem signi.

684. DICES 1. Gratia significat quiddam talem affectum amicabilem, sed tantum extrinsecaliter, hoc est, significat, quòd connaturaliter debeat talis affectus existere; & hoc semper esset verum, etiamsi Deus non haberet talem affectum. Sed contra. Si hoc sufficeret, posset idem dici de actibus supernaturalibus, & de Characterē, & sic non esset in istis magis essentialis veritas, quàm est in visione oculi; consequens est contra omnes: ergo sicut hi actus essent falsi,

L1 3

si non

si non existeret res significata, & quæ exigitur, ita etiam Gratia esset signum falsum, si talis affectus non existeret. Ratio desumitur ex natura Signi, quæ est: præter cognitionem sui facere nos venire in cognitionem alterius, ita ut affirmato signo inducamur ad affirmandum significatum. atqui si signa Naturalia tantum significarent eo modo, quo exponitur in replica, nempe quod connaturaliter petant existentiam alterius, nihil aliud significarent præter se: nam illa exigentia, quam solam significarent, est ipsa Entitas Signi: ergo ut exerceant rationem signi, debent nos inducere ad affirmationem alterius, & quidem talem, ut si illud non existeret, evaderet signum deceptorium & falsum: Quapropter ut aliquod signum censetur habere hanc prærogativam, ut sit essentialiter verum, debet indispensabiliter exigere correspondentiam rei significatæ.

687. Dices 2. Sacramenta sunt Signa Gratia, & tamen sæpe Gratia non ponitur collato Sacramento: atqui non est ratio, quare Sacramentum possit esse signum falsum, & non etiam Gratia. Ergo &c. Sed contra. Immo hinc confirmatur nostrum argumentum. Nemo unquam dixit Sacramenta posse esse signum falsum. Ratio est, quia Sacramenta sunt signa ad placitum, adeoque significant non ex intrinseca Naturali exigentia, sed ex institutione Christi, & eo modo quo Christus voluit esse signa. Christus autem voluit & declaravit esse signa conditionatæ Gratia, hoc est, significare Gratiam vel augmentum Gratia, si ex parte suscipientis adsint dispositiones à Deo requisitæ, has autem adesse, non significant Sacramenta: illis autem dispositionibus positis, semper confertur Gratia significata, & sic Sacramenta nunquam evadunt signum falsum. Sic quando quis cum altero contrahit, & dicit: Vendo tibi equum centum florenis: si verè habet animum vendendi, non dicitur esse mentitus, si alter nolit emere: quia ex consuetudine recepta, illa verba etsi absolute prolata, significant tamen conditionatè: *si tu consentias*. Aliter se res habet in signis Naturalibus, ut jam declaratum est. Nunc Objectiones dissolvamus.

686. Obijciunt 1. Privatio Gratia est pœna peccati etiam in ipso instanti quo committitur peccatum actuale: atqui de ratione pœnæ est posse non infligi: ergo debet Gratia posse conjungi cum peccato actuale. R. Negando minorem. Ad rationem pœnæ enim sufficit, esse malam, & infligi propter delictum ab eo qui offenditur, vel ad quem pertinet punire, etiam si ad hoc faciendum necessiteretur. Vnde sicut in Jure humano obligatio seu necessitas moralis puniendi, non impedit aut minuit rationem pœnæ, ita nec in Deo necessitas metaphysica. Hinc ipsa felicitas æterna habet etiam rationem præmij, etiam si (ut mihi verius est) impossibile sit eam negari homini decedenti in Gratia, ob rationem superius indicatam.

687. Obijc. 2. Plus est, remitti peccatum, quam infundi Gratiam: ergo quando utrumque concurrat, superadditur infusio Gratia favor extrinsecus. Antecedens probatur. Nam ad remissionem peccati erat opus meritum Christi infiniti valoris, non item ad infusionem Gratia primis parentibus factam. R. Antecedens esse verum in hoc sensu, quod possit intelligi & esse infusio Gratia, quin detur remissio peccati, si nempe nullum peccatum præcessit. Ita quando peccatum præcessit, adest motivum retardans ab infusione Gratia, propter quod est difficilius obtinere Gratiam, quam si nullum peccatum præcessit, & tunc, supposito peccato plus infundi Gratiam, quam purè remitti peccatum, & hoc sensu falsum est antecedens.

688. Obijc. 3. Nulla bonitas finita potest necessitare Deum ad amandum, sed sola bonitas infinita: atqui Bonitas Gratia est finita: ergo non necessitat ad amandum & remittendum peccatum. Ita Ariaga, sed debet advenire, probibet hoc argumentum solvendum esse in Vane hypostatice, exigente indispensabiliter operationem actus primi proximi ad peccandum. Deinde argumentum procedit ex falso supposito, quasi Gratia infunderetur pro priori naturæ, & Deus inde moveretur ad condonandum peccatum, quod in primo libro rejecimus. Dicimus ergo, quod ipsa voluntas conferendi Gratiam, est amor, volens mediante Gratia ordinare hominem ad æternam felicitatem.

689. Obijcit ultimo Lorca, defuncto peccatum semper consistere cum Gratia pro illo instanti, quo vel peccatum committitur, vel per Gratiam expellitur. In nullo signo potest homo intelligi nec esse peccator nec justus: ergo pro priori naturæ ad ipsum peccatum ponendum in posteriori signo, intelligitur homo adhuc habens Gratiam; & contra pro priori naturæ ad infusionem Gratia intelligitur adhuc peccator. R. Hoc argumento uti discipulos Philosophia ad probandum, materiam ligni ex quo fit ignis, propter Naturæ adhuc habere formam ligni, & sic de cæteris. R. Itaque, in priori naturæ prædicti utraque forma, ut traditur à Philosophis, necesse est operæ pretium verbum addere.

## CONTROVERSIA VII.

*Utrum Actus perfectæ Charitatis sit essentiali sua perfectione forma justificans.*

690. PRIMA sententia affirmat, adeo quidem, ut etiam si ille actus careret formali libertate, adhuc justificaret, sicut justificaret Gratia, si homini sine vlla prævia dispositione infunderetur. Ita Vincentius de Gratia Christi, Vasquez, Turrianus, Gaspar Hurtadus, Meracius, & est hæc communis in Academia Complutensi.

Secunda Sententia negat. Ita antiquiores. Scorus, Durandus, Paludanus, Gabr. quos sequitur Suarez, Montelinos, Lorca, Henriquez, Conink, Genad, Tannerus, Arriaga, Oviedo, alij. Cum quibus

DICO, Dilectionem Dei in via non esse formam ex sua perfectione justificativam. Sufficeret ad probandam Conclusionem solvere argumenta adversariorum: cum enim illi tribuant Dilectioni Dei perfectionem captu difficilem, illis incumbit onus probandi. Nihilominus

Probat Conclufio 1. Auctoritate S. Scripturae, cuius vis ut intelligatur, supponendum est, nulli actui promitti in Sacris litteris veniam peccatorum, nisi perfecte dilectioni, & hac sola extra Sacramentum in re susceptum, posse hominem pervenire ad Justificationem. Vnde sic argumentor. Si perfecta dilectio esset forma emundans à peccato, sequeretur quod emundatio à peccato, non esset Beneficium distinctum à Beneficio auxilij efficacis, dati ad hanc dilectionem obtinendam: consequens est contra S. Scripturam: ergo dilectio non est forma essentialiter emundans à peccato. Sequela est evidens. Minor probatur. Deus in Scriptura promittit Beneficium reconciliationis illis, qui ad ipsum per dilectionem revertuntur; & SS. PP. tribuunt hoc ipsum Misericordiae divinae, à qua provenit, quod sine mora velit reconciliari illis qui ipsum diligunt. Zachariae 1. & Joëlis 2. Convertimini ad me & ego convertar ad vos. Quod autem Conversio Dei ad hominem diligenter Deum, sit actus divinae Misericordiae, adeoque non ex necessitate connexus cum dilectione posita ab homine, audi S. Leonem Epist. 91. ad Theodorum. Misericordia Dei, inquit, nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem non patitur veniae moram vera conversio. & S. Fulgentium. Ep. 7. c. 7. Sicut, inquit, Deus per poenitentiam damnat adversum, ita per misericordiam sanat conversum. Et S. Augustinum in psalm. 144. de Misericordia Dei exponentem. Deus, inquit, conversioni tuae indulgentiam promissit, sed dilationi tuae diem crastinum non promissit. Id ipsum exprefcit Isaias cap. 35. Revertatur ad Dominum, miseretur ejus. & Jerem. c. 3. Convertimini filij reverentes, & sanabo vos. Ecclesi. 17. Quam magna misericordia Domini propitiatio illius convertentibus ad se.

691. Haec Testimonia contradicunt illis loquendi modis, quibus utuntur adversarij, in specie verò Recentior quidam, qui dicit, quod homo diligendo Deum experimentaliter percipiat se diligi à Deo dilectione amabili, adeoque delevit peccati, quia experitur sibi concedi amorem Dei, & quidem amorem amicitiae: Deus autem magis amat hominem, quam amatur ab ipso: ergo Deus dando amorem amicitiae homini, hoc ipso amat hominem amore amicitiae. Hæc Romæ iste Recentior. Contra quem

692. Argumentor hoc modo. Si Deus amat hominem Amore delevit peccati, quo illi confert amorem sui, sequitur quod peccatum sit

deletum pro priori Natura ante ipsam contritionem seu dilectionem Dei: ergo dilectio Dei non est primò expulsiua peccati; nec Scriptura deberet dicere: Convertimini ad Deum, & ille convertetur ad vos. sed sic: Convertimini ad Deum, quia ille jam est conversus ad vos. Sequelam probō. Totum beneficium quod Deus exercet erga hominem, conferendo illi dilectionem sui, consistit in collatione auxilij efficacis quā talis, hoc est, habentis infallibilem connexionem cum dilectione subsequente pro signo posteriore naturæ, ad quam se homo liberè determinat: ergo juxta doctrinam adversarij Deus pro priori naturæ jam est conversus ad hominem: ergo antecederet ad ipsum amorem jam est dimissum peccatum, quod tamen nemo docet, quod ego sciam.

693. Confirmatur ex S. Augustino, pulchrè distinguente inter Misericordiam quæ exercetur per vocationem ad poenitentiam, & Misericordiam quā post poenitentiam remittit peccatum, & ait, quod non obstante poenitentia posset Deus non exhibere hanc secundam Misericordiam. Cum enim lib. 83. quæstion. 9. 68. dixisset, quod etsi peccator magno gemitu & dolore poenitens, misericordiam Dei dignus sit, subjungit: Non ipse est (subintellige recipi in gratiam, alludit enim ad illud: Non est volentis, sed Misericordiae Dei) qui si relinqueretur, interiret, sed misericordiae Dei, qui ejus precibus doloribusque subvenit. Parum est enim NB. velle, nisi Deus misereatur, sed Deus non misereatur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit, quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hunc deinde locum recognoscens lib. 1. retract. c. 26. ne videretur exclusisse Misericordiam prævenientem, hæc addit: hoc dictum est NB. post poenitentiam. nam est misericordia Dei etiam ipsam præveniens voluntatem.

694. Confirmantur hæc omnia vterius ex eo, quod ipsa Scriptura hanc Dei liberam potestatem remittendi peccatum, etiam positā poenitentia, exprimat consuetā phrasi per particulas significantes incertitudinem eventus, non quasi Scriptura dicat, esse revera incertum id quod Deus clavis verbis promissit, aut prædixit futurum, sed vult significare liberam potestatem, quæ circa illud eventum non tollitur per Dei præscientiam aut prædictionem. Sic etiam facit Scriptura in præfenti Joëlis 2. Convertimini ad Dominum Deum vestrum, qui benignus, & misericors est, & præstabilis super malitia. quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem. Actor. 8. Roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis.

695. Probat Conclufio 2. Auctoritate Concilij Tridentini, & quidem ex triplici loco. Primus sumitur ex sess. 6. c. 6. Nam postquam cap. 4. definivisset Justificationem, quod sit Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum Gratiae & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, & addidisset ibidem, quod ad hanc Justificationem con-

sequen-

sequendam sit necessarium lavacrum regenerationis, vel in re, vel in voto (hoc est, in perfecta dilectione) postmodum cap. 6. enumerat dispositiones, quæ hanc Justificationem regulariter præcedunt, & inter illas ponit Dilectionem. Ex quo loco sic argumentor 1. Descriptio allata Justificationis non convenit actui Dilectionis: ergo hic actus non justificat. Probatur antecedens. Imprimis enim *Status* significat aliquid Stabile & permanens, actus autem dilectionis est quid transiens: ergo non est talis translatio qualem requirit Trident. Deinde dilectionis actus non constituit formaliter filium adoptivum, sed hoc facit sola Gratia sanctificans: Argumentor 2. cum Suarez, Oviedo, & alijs. Concilium enumerat inter dispositiones Dilectionem, & ait, per eam hominem disponi ad Justificationem seu ad Justitiam: sed nihil est dispositio ad seipsum: ergo dilectio non est formalis Justificatio, sed illud solum est formalis Justificatio, ad quod dilectio disponit, quod non est aliud quam Gratia habitualis.

696. Respondent adversarii, Concilium loqui de dilectione quadam imperfecta. Sed contra. Concilium neque loquitur determinatè de dilectione perfecta, nec determinatè de imperfecta, sed abstrahit ab utraque, quia loquitur de dilectione prout requiritur ad Justificationem; cum autem Justificatio fiat duplici modo, vel per Sacramentum, vel per illius votum, in priore casu sufficit dilectio imperfecta, in posteriore requiritur dilectio perfecta: ergo etiam hanc enumerat inter dispositiones, & præparationes ad Justitiam.

697. Urgeo argumentum ex dicendis de Sacramentis in genere, quòd votum Sacramenti Baptismi & Pœnitentiæ, aliud non sit, quam Contritio perfecta, & in illa tanquam in voto seu vicario justificet Sacramentum ipsum, quando in re suscipi non potest: ideo autem Contritio est illius votum, quia Contritio est voluntas adimplendi omnia præcepta: Sacramenti autem suscepcio est sub præcepto, ergo &c. Jam sic. In eo genere Causæ debet Contritio conferre Justificationem, in quo genere eam confert ipsum Sacramentum: sed Sacramentum eam confert in genere causæ efficientis, & non in genere causæ formalis: ergo etiam Contritio, alioquin non rectè diceretur agere vices Sacramenti.

698. Secundus locus Tridentini adhuc efficacior, sumitur ex eadem Sessione. 6. can. 9. qui sic habet. *Si quis dixerit solà fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad Justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nullà ex parte necesse esse, suæ voluntatis motu NB. præparari atque disponi, anathema sit.* Subsumitur. atqui non esset anathemate dignus, qui diceret, nullo voluntatis motu tanquam præparatione & dispositione opus esse ad Justificationem, si Contritio esset formalis Justificatio, nam ad hanc nullus actus voluntatis tanquam præparatio &

dispositio est simpliciter necessarius, sed peccat immediatè sequi ad actum fidei, quo quis credit Deum esse remuneratorem, &c. ergo Concilium supponit, Contritionem semper esse dispositionem & præparationem.

699. Tertius, & meo judicio efficacissimus locus, sumitur ex sess. 14. c. 4. ubi hæc habentur. *Fuit autem omni tempore ad imperandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius.* Unde sic argumentor. Nihil impetrat seipsum sed per contritionem impetratur venia peccatorum: ergo Contritio non est venia peccatorum. Respondent, esse ibi sermonem de Contritione imperfecta. Sed contra 1. Licet imperfecta contritio sit necessaria & sufficiens in nova lege cum Sacramento, attamen in antiqua lege non fuit necessaria aut sufficiens, sed requirerebatur Contritio perfecta. Contra 2. Quia verba subsequenter declarant, quòd etiam contritionem perfectam comprehendat sub ratione generis *Contritionis*: sic enim habet: *Etsi Contritionem hanc aliquando Charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare prius quam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Unde sic arguo. Si Contritio perfecta non esset votum Sacramenti, non haberet vim reconciliandæ, ut ait Tridentinum: atqui non est Contritionis essentialiale sed contingens, esse votum Sacramenti, nam si Sacramentum non esset sub præcepto, non potuisset non esse, Contritio non esset votum illius: ergo Contritio non est ex essentia sua forma expulsi peccati.

700. Probatur Conclusio 3. Auctoritate Patrum, & quidem aliquos jam supra adduxi, quibus nunc addo S. Chrysostomum hom. 80. ad populum. qui in persona peccatoris sic loquitur. *Totam vitam in peccatis absumpsi, & si pœnitentiam egero salvabor?* Respondet S. P. Maximus. *valde constat: ex Domini clementia: ne tue confidas pœnitentiæ: tua enim pœnitentia nescit tanta peccata dolere. si tua esset pœnitentia, jure timeres, sed postquam NB. cum pœnitentia commiseretur divina Misericordia, confide.* Nunc objectiones solvamus.

701. Objicit ergo primò & principaliter Recentior ille, & pro fundamento supponit, quòd Dilectio DEI sit tante perfectionis & difficultatis, ut implicet eam ab homine victore elici, quin procedat essentialiter ex cognitione fidei, quæ homo credat, quòd Deus diligat diligentes se. hoc supposito sic argumentatur. Hoc ipso quòd Dilectio Dei est ex sua intrinseca perfectione connexa cum cognitione dei, essentialiter vera, de reciproca dilectione divina erga hominem, hoc ipso, inquam, Dilectio hominis erga Deum est ex sua essentiali perfectione impossibilis cum peccato mortali: ergo habetur intentum.

702. Ad hoc argumentum potest dupliciter responderi. Primò, negando ipsum fundamentum.

mentum. Nam etiam si daremus, repugnare, quod eliciatur actus dilectionis divinae, quin homo alliciat ad amandum cognitione fidei, mo alliciat ad amandum cognitione fidei, quod Deus in inquirentibus se remunerator sit (prout aliqui docent, pluribus id negantibus, & solam morem aliquam impossibilitatem agnoscentibus) hanc remunerationem esse reciprocam dilectionem in ratione amici: posset enim Deus adhuc huiusmodi dilectionem remunerari aliquā ulteriori illuminatione, vel procuratore medijs iustificativi, v. g. offerendo occasionem recipiendi Baptismum, vel Sacramentum Pœnitentiæ, quo denique homo Deum plenè inquireret, & hanc ultimam inquisitionem Deus remuneraretur collatione Gratiz, & remissione peccati.

703. Deinde, ostenditur à priori, quod non repugnet physice, elici dilectionem Dei absque prævia cognitione fidei de dilectione Dei reciproca. Nam etiam si nunquam revelatum esset, aut certe ad meam notitiam necdum pervenisset revelatio, quâ Deus in Sacra Scriptura dicit: *Ego diligentes me diligo*: adhuc posset mihi esse revelata alia attributa divina primaria, quorum vnumquodque, & à fortiori omnia simul proposita, ostendunt utique Deum esse dignum amore super omnia: si enim hæc non ostendunt, neque si accedat hoc, quod est, diligere diligentes se, id ostendunt. Positâ ergo hac cognitione, jam hoc ipso est physice possibilis amor objecti sic propositi. Nam omni cognitioni practice proponenti objectum, respondere debet possibilitas amoris dirigibilis ab illa cognitione: atqui cognitio proponens Deum cum primarijs suis attributis, & ut dignum amore super omnia, est utique cognitio practica: ergo debet esse possibilis amor dirigendus illâ cognitione. Ergo non repugnat amor Dei, non præsupponens cognitionem quod Deus diligat diligentes se: neque hunc amorem negavit possibilem esse P. Vasquez cum asseclis suis: & circa hunc amorem erat tota dissensio inter Suarez & Vasquez, an seipso formaliter iustificet: quapropter Recentior ille non defendit sententiam Vasquezij, sed Novam inducit.

704. Responderi potest 2. Transmisso, non concessio illo fundamento adversarij, negatur inde legitime deduci, quod Dilectio Dei sit forma expulsi peccati, quin potius ex illo fundamento sequitur, quod Dilectio Dei, prout eam ponit adversarius, supponat peccatum jam pro priori signo expulsum. Supponit enim aliquid impossibile cum peccato: atqui, id quod est primum impossibile cum peccato pro hoc instanti, est formaliter expulsum peccati, & hoc adversarius non audebit negare, alioquin ego pari jure negabo, quod, etiam si Dilectio Dei esset impossibilis cum peccato, hoc ipso esset forma expulsi peccati, & dicam, illud expelli per Gratiam sanctificantem: ergo ante ipsum actum Dilectionis jam est expulsum peccatum. Major probatur: quia actus Dilectionis supponit

per adv. in actu primo Gratiam efficacem, adeoque totum aggregatum quo constituitur hæc denominatio *Gratia Efficax*, est essentialiter connexum cum ipsâ dilectione: ergo si hæc est impossibile cum peccato, etiam illud erit: ergo sicut non valet hæc consequentia: In actu primo datur aliquid essentialiter impossibile cum negatione dilectionis: ergo datur Dilectio pro priori Naturâ: sic non valet hæc consequentia: In priori naturâ ad infusionem Gratiz datur aliquid essentialiter impossibile cum peccato: ergo in eodem signo datur expulsio peccati.

705. Objicit idem 2. Deus non potest donare animæ suam amorem super omnia, nisi ex affectu amicitiz: ergo non potest eum donare inimico: ergo est effectus impossibilis cum peccato. Probatur antecedens: quia anima per talem amorem amat Deum amabiliter ex parte sua, tradit enim se totam Deo perfecte ex parte sua: sed Deus per hunc ipsum amorem quem tradit animæ in bonum ipsius, magis amat animam, quàm anima per eundem amet ipsum: ergo cum anima per hunc amorem amet amabiliter Deum, multo magis per eum Deus amabit amabiliter animam. Adde, quod per hunc amorem fit, ut non lateat animam se amari à Deo: experitur enim NB. se amari per hunc ipsum amorem quo amat Deum: ergo per hunc amorem constituitur amicitia, quæ per Philosophum est mutui amor non latens, & constituitur NB. multo magis quàm per habitum, qui secundum se latet, & non sentitur nisi per actum: ergo, sicut amicitia ita hic actus, ex sua perfectione opponitur inimicitiz, & est tantum Boni, ut donari non possit inimico. Ita ille.

706. Libenter quererem ex adversario, num aliquando expertus in se sit istum reciprocum amorem amicitiz non latentem, ita ut affirmare ausus fuerit, Deus me nunc amat amore amicitiz: & quâ evidentia expertus sit, Physicâ an Metaphysicâ? si nunquam est expertus: quâ fiducia affirmat de alijs hanc experientiam? si vero expertus est: quid quæso defuit illi, quod minus sciret, Vtrum Odio an amore dignus sit? Ad Objectionem facile respondetur, negando antecedens; ad probationem distingo minorem dupliciter. Primò. Deus magis amat, hoc est plus boni confert animæ, quàm accipiat ab anima, concedo: amat altiori genere amoris, nego. Secundò. Magis amat amore ordinante actum Contritionis ad infusionem Gratiz, tanquam meritum de congruo, concedo, sistendo in ipso amore, nego min. & consequentiam.

707. Objicit idem 3. Amor Dei super omnia est perfecta electio simul vivendi in æternum cum Deo, & collocatio efficax propriæ beatitudinis in eo, quod anima semper videat felicitatem divinam, eique in æternum gratuletur & plaudat, ac tali gratulatione fiat ipsa Beata, ex redundantia divinæ Beatitudinis: hoc enim est amare Deum super omnia, contemnere Omnia Bona præ hoc

M m

hoc Bono, quod est, videre eum Beatum, & nihil aliud velle, nisi divinam felicitatem videre semper, ut ames, semper amare ut videas. Inde fit, quod si quis habens hunc amorem, non pertingeret ad Deum videndum, ex ipsa magnitudine sui amoris redderetur infelix: ille enim est infelix, qui frustratur eo Bono quod summè vult, quod unicè vult, & in quo collocat omne suum Bonum: atqui repugnat, quod Deus donet mihi amorem suum, ad finem faciendi me miserum præ amoris magnitudine quem donat: hoc enim est indignum divinâ Bonitate: ergo talis amor ex ipsa magnitudine amoris est impossibilis cum impedimento Beatitudinis, scilicet cum peccato: si enim Deus infunderet mihi amorem suum, simulque me relinqueret in peccato, sequeretur, quod odisset me per hoc ipsum, quod vellet se amari à me, & quod ipse amor esset effectus Odij, quod est vitæ absurdum.

708. Priusquam respondeam directè, ob-  
servo, propositionem illam, quâ in maiore dicitur: quod quis esset infelix, si habens talem amorem non pertingeret ad videndum Deum; ut vera sit, debere habere hunc sensum: si habens illum amorem non posset pertingere, aut non haberet Spem pertingendi ad visionem Dei: in quo sensu permitto maiorem (nam in sensu quem præferunt verba, est manifestè falsa) & deinde etiam concedo minorem, & nego consequentiam, quæ est vitiosa: solum enim ex præmissis potest inferri: Ergo talis amor est impossibilis cum actuali damnatione, & cum omnimoda impotentia & desperatione salutis; quam consequentiam pro nunc, concedo, & subsumo. atqui potentia & Spes salutis consistit cum hoc, quod Contritio tantum mereatur de congruo veniam peccatorum, & sit composibilis cum peccato defacto, ita tamen ut Deus eam largiendo, posset velle hominem disponere remotè ad consequendam salutem: si nimirum Deus noller intuitu solius Contritionis remittere peccatum, sed accedente primùm Sacramento. Est ergo in argumento fallacia, prolixitate & elegantia verborum involuta; quæ ulterius patet ex eo, quod eodem argumento, mutatis tantum terminis, probari posset, amorem Concupiscentiæ, quo quis Deum amaret non ut finem *Cui*, sed ut amanti Bonum, per actum Spei, quod, inquam, talis amor, qui etiam esset donum Dei, esset impossibilis cum peccato: nam de amore Concupiscentiæ est maximè verum, quod amantem reddat infelicem, si non pertingat ad id, quod summè amat tali amore.

709. Obijcit denique is ipse 4. Charitas Habitualis justificat ex sua perfectione, ut auctores concedunt. (sed longè plures negant cum S. Thoma, ut supra dictum, nempe omnes qui distinguunt Habitum Charitatis ab Habituali Gratia) sed dilectio perfecta est finis Charitatis habitualis: ergo multò magis ipsa justificat ex sua perfectione. Probatur minor. Actus enim sunt finis potentiarum, ideo enim dantur Habitus, ut

dentur actus: amici enim non ideo se amant, ut possint amare, sed possunt amare, ut amant. Vnde oppositio quam habet habitus cum peccato, à fortiori convenit actui, ideo enim peccato opponitur habitus, quia trahit actus oppositos peccato.

Respondet ad hoc argumentum P. Esparza, Habitum Charitatis esse perfectiorem quam quod actum non solum secundum quid, hoc est, quia est aliquid permanens, sed etiam simpliciter, quia habitus est contentivus & causativus amoris beatifici, qui excessu propè infinito superat dilectionem viatoris. Hoc supposito responderet ad minorem, quod dilectio viæ est finis tantum intermedium, ordinatus simul cum habitu ad dilectionem patriæ, quæ est ultimus finis creatus utriusque, in ordine ad quem eadem dilectio viæ respicit etiam vicissim habitum ut finem intermedium, sive ut primò inducendum, sive ut conservandum, ideo enim diligimus Deum, ut vivamus & moriamur in Gratia, adeoque semper retineamus habitum salutis, potestatem diligendi Deum super omnia, ac deum amore æterno diligamus. Vnde hæc causalis est quodammodo verior, quàm quæ ponitur in objectione: Ideo diligimus Deum in viâ, ut illius possimus æternum diligere.

710. Contra hanc responsionem replicat adversarius, & ait: Objectionem procedere de fine Habitûs prout conjuncti cum fide: hujus enim finis est amor viæ, ut est certum: atqui habitus Charitatis ut conjunctus cum fide, justificat: ergo & amor viæ justificabit.

Non invenio novam difficultatem in hac replica. Redit responsio data, distinguendo maiorem: finis intermedium Charitatis ut conjunctus cum fide, est actus viæ, conceditur, finis ultimus, negatur. Nam licet finis ultimus non sit conjungendus cum fide, sicut conjungitur habitus, conjunctio tamen habitus cum fide in viâ, ordinatur ad obtinendam per merita vitam æternam.

711. Verum, quantumcumque replicet adversarius, & permittendo illi, quod finis Charitatis ut conjunctus cum fide, sit præstantior quam ipse habitus charitatis ut conjunctus cum fide, & negabitur replica consequentia. Si enim actus viæ non est præstantior quam habitus Charitatis secundum se, ut demonstravit P. Esparza, multò minus erit præstantior illo, si conjungatur cum fide, nam per hanc conjunctionem nihil demitur perfectioni habitus, ut patet.

712. Respondeo ulterius, negando, quod finis habituum sit actus præcisè secundum se, & non abstracto sumptus, sed ut conjunctus cum subiecto propter quod intenditur; & ideo actus secundum se, potest esse quid imperfectius, quàm sit habitus vel potentia: sic dico quod finis habitus Charitatis, non sit actus Charitatis secundum se, sed ut conjungendus cum Gratia, & ut dignificandus ab hac ad promerendum augmentum Gratiæ: vnde holummodo valet hæc consequentia. Finis Charitatis est actus ut dignificatus à Gratia: sed Charitas

sanctificat. ergo actus dignificatus à Gratia magis sanctificat merendo de condigno augmentum Gratiae. Et hæc ad speciales objectiones hujus Recentioris. Nunc ad alias.

713. Obijciens ergo 5. Varia Scripturæ, & SS. PP. testimonia, quibus Charitati tribuitur remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, immo desponsatio cum eodem, dicitur efficere animam pulchram, immo esse pulchritudo anima, & similia. R. Scriptura & PP. volentes excitare homines ad amorem Dei, non debebant esse solliciti, an Dilectio justificet formaliter, an causaliter, dispositive, & meritorie de congruo, an per essentiam, an ex misericordia Dei. Ad finem enim Scripturæ sufficiebat, quod esset infaillibiliter connexa cum gratia, sive hæc connexio conveniret ab intrinseco sive ab extrinseco. Præterquam quod superius attulerimus testimonia, quibus clarius pronuntiat, quod dilectio sit dispositio, & non forma justificans.

714. Obijci. 6. Si homo immediatè post commissum peccatum moreretur, posset sine ullo habitu illi conferri Visio beatifica, & inde consequens amor beatificus: ergo per hunc justificaretur. Atqui hic amor est ejusdem rationis cum amore in via: ergo & hic justificat. R. 1. Negando casum esse possibilem: esset enim contra naturam illorum actuum, exigentium Gratiæ tanquam radicem, & sic fieret miraculum de presensum felicitatis, & non promotivum. R. 2. Transeat casus: nego quod tunc justificatio esset per formam intrinsecam; sed esset condonatio extrinseca, ordinans mortem ad felicitatem non obstante peccato precedente, ut supra explicatum est. R. 3. Transeat justificari per formam intrinsecam, in casu objectionis esset illa forma Visio beata potius quam amor, utpote beatitudo formalis præcedens prioritate naturæ amorem. R. 4. Transeat esse Amorem, nego esse ejusdem rationis cum amore in via, quia essentialiter supponeret Visionem beatam necessitantem, & esset gaudium de Visione nunquam amittenda.

715. Obijci. 7. Peccatum mortale consistit in averfione à Deo, & conversione ad creaturas. Dilectio seu Contritio perfecta præstat oppositum: per eam enim homo se avertit à creatura, & convertit ad Deum: ergo tollitur tota essentia peccati. R. Concessa majore & minore, negatur consequentia, quæ non est legitima, nisi hoc sensu. ergo Contritio excludit peccatum actuale: non autem rectè inferitur: ergo tollit peccatum habituale. Ratio est, quia peccatum actuale non solum habet hoc, quod intentionaliter avertat hominem à Deo, sed insuper præbet Deo jus averfionis etiam transacto peccato, quocunque actu hominis posito: hoc ergo jus non tollitur per actualem conversionem ad Deum, sicut non tollitur in homine offenso jus ad prosequendam injuriam, si offendens postea cum amet, quamvis hic amor sit impossibilis cum actuali offensa.

716. Obijci. Ultimo ex S. Augustino, duobus præcipue locis. Primus habetur in illud ad Rom. 5. *Justificati gratis per Gratiam ipsius. Si Deus, inquit, non reciperet confugientes ad se, esset in eo iniquitas.* Alter locus habetur tract. 9. in Epist. Jo. *Quid, inquit, facit homo deformis, &c. & concludit: Quando eramus pulchri? amando eum qui semper est pulcher. quantum in te crescit amor, tantum in te crescit pulchritudo, quia ipsa Charitas est pulchritudo.* R. Ad 1. Ideo in Deo fore iniquitatem, quia Deus non staret promissis. Cæterum, seclusa promissione non esset iniquitas: cum enim receptio fugientis ad se, sit actus misericordiæ, ut ex SS. PP. supra ostensum est, denegatio hujus non potest esse iniquitas, nemo enim teneretur ad misericordiam ex justitia, ut ex terminis patet.

Ad 2. R. Locutiones Patrum concionatorias non debere ad terminos scholasticos trutinari; sufficit, quod in effectu & estimatione morali idem significant. Ad intentum S. Augustini perinde erat, an Dilectio sit formaliter, vel causaliter & meritorie justificatio & pulchritudo.

